

Legis morali

1740.

Othlius, Lucas Henricus : De veris patriae et dominicae
potestatis differentiis.

1741.

Othlius, Lucas Henricus : De actibus imperii Germanici
in Prussiae possessionis facto venditatis.

1743.

1. Lehmann, Daniel : Pars I dissertationis evincentis
I quatuor vetera legatorum genera per vindictam
nem, damnationem, sinendi modum, et proceptionem
punctus subleto esse, nec eorum vel aliquod dux-
lexat vestigium in corpore juris civilis re-
manere II. non posse legataris testatorem vi-
rum legatum praestare.
2. Lehmann, Reinholdus Fridericus, de : Jurisceptorum.

1744.

1. Bally, Theodorus : De ludis publicis.

1744.

2. L'Estocq, Franci Ludovicus: De novis rebus
de d'is crimibus tempestatis maritalium pro delictis
habentibus vel non habentibus
3. Waga, Stephanus: De eo, quod iustum est circa
incestum juris civitis.

1745.

1. Kurella, Jacob Samuel: Ueber die Methode, nach
welcher ein Curus juris ... eroffnet u. ge. Ende gebracht
werden soll.
2. Schinemann, Georgius Theodorus: De renunciatione
iuris juris non valida.

1747.

L'Estocq, Johannes Ludovicus: De jurisdictione
iudicis Gallici Regiamontani.

1757.

Funck, Joannes Vinc : De renunciatione officii publici.

1752.

Keller, Joannes Rinkholder : De hereditatibus laterorum
naturalium paternis et maternis.

1755.

L'Estocq, Joann Ludovicus : De indole et jure
instrumenti Indiarum usitatis, cuius Mante no.
men est.

1763.

1. Funck, Joannes Vinc : De actibus juri D'cis
sub conditione mandata religionis gestis.
2. Grubbs, Vinc : De jure D'ctione in causis metri.
novissimis et hodieus ejus exercitio in foro Geda.
nensi.

1768.

Braun, Christianus Renatus : De effectibus et
potentis Divortii tam particularis quam totalis

1771.

Zesler, Wilhelmus Bernardus: De Depositi^o Depositi
pecuniae numeratae qua talis.

1779.

Holtzmaier, Georgius Fridericus: De tempore in jure
civitate ac naturaliter computando.

1781.

Kochlerus, Jo. Bern.: Praetermissa et Consti-
tutionem Asperkr. Accensit. in der lecturam
per hiemem 1781 habendam.

P. 240.

Erz. num. 31.

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA 1763, 2

DE

IURISDICTIONE IN CAUSIS MATRIMONIALIBVS,

15

ET

HODIERNO EIVS EXERCITIO IN FORO GEDANENSI,

P. 305.

QVAM

ANNVENTE DEO

IN ILLVSTRI ALBERTINA,

PERMISSV

AMPLISSIMI IURIS CONSULTORVM ORDINIS

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES, AC PRIVILEGIA CAPESSENDI

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBICIT,

ET

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS CONSVETIS

DIE XX. M. DECEMBRIS A. MDCCLXIII.

IN AVDITORIO MAXIMO

DEFENDET

DANIEL GRALATH,

GEDANENSIS.

REGIOMONTI,

LITTERIS HARTVNGIANIS.



am
ro-
m.
es
le-
ne
oc
let
um
nc
at,
e-
sse
u-
is
b-
li-
o-
lle
m



INCLYTAE
REIPUBLICAE GEDANENSIS
SENATVI SPLENDIDISSIMO,
ILLVSTRI,
PERMAGNIFICIS, MAGNIFICIS, GENEROSIS
MAXIMEQVE STRENVIS,
DOMINIS
BVRGGRAVIO REGIO,
PRAESIDI, PRAESIDI VICARIO, PRAECONSV-
LIBVS, CONSVLIBVS, AC SYNDICO,
PATRIBVS PATRIAE MERITISSIMIS.
MAECENATIBVS SVIS GRATIOSISSIMIS,
AC
PARENTI OPTIMO,
SVBMISSO ANIMI CVLTV AETERNVM VENERANDIS,
PVBLICVM CONAMINIS LITERARII SPECIMEN,
DEVOTO ANIMI AFFECTV
D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

Cultor & Cliens obsequiosissimus
DANIEL GRALATH,

Exiguas studiorum meorum primitias, Illustrium
Nominum Vestrorum splendore, MÆCENATES
GRATIOSISSIMI, prorsus indignas iudicarem, nisi ip-
sae, quibus inclarescitis, eruditionis fama & academico-
rum laborum benigna diiudicatio, mihi animum addi-
dissent, praesens venerationis meae monumentum,
religiosa oblatione Vobis dicare. Innumera enim
testantur exempla, quanta benevolentia & animi pro-
pensione, illi a Vobis excipiantur, qui Themidis ca-
stra fideliter sequuntur, & diligenti literarum cultura,
Reipublicae aliquando inservire cupiunt. Pieridum
chorus in hunc usque diem de patrocinio Vestro lae-
tatur & inter publicos labores gravissimasque curas,
de conservanda & promovenda Reipublicae Vestrae
salute, supplices Musarum alumnos nunquam a con-
spectu Vestro arcere consuevistis. Pari itaque indul-
gentia & serena fronte suscipiatis, precor, leue qui-
dem, sed quod integerrimo pietatis affectu, Vobis
consecrare audeo, munusculum, in quo offerendo,
debito simul officio defungor, ut Vobis absoluti aca-
demicae vitae curriculi rationes reddam. Ne cogitetis,
VIRI PERMAGNIFICI, in hoc studiorum meorum pi-
gnore,

gnore, consummatam styli & elaborationis accurati-
onem, sed potius, animi Vobis aeternum deuinctissi-
mi tesseram inueniri, & ex tenui mea patriarum le-
gum delibatione, non tam noua proferendi, cupidi-
nem, quam innatum, qualiacunque olim Patriae ser-
uitia praestandi, desiderium colligatis. Tunc enim me
felicissimum iudicabo, sicubi aliquales mei in bonarum
artium studiis profectus Vobis non plane displicuerint,
& Vos me indulgentiae & patrocinii Vestri testificatio-
ne non indignum iudicaueritis. Valete, MÆCENATES
GRATIOSISSIMI, Deum Ter Optimum Maximum
supplex veneror, vt Vos Amplissima Ciuitatis columi-
na, & Domus Vestras, meritorum gloria & virtutum
laude florentissimas, diutissime sospites & incolumes
seruet, vota que pro Patriae, prudentibus Vestris Con-
siliis gubernatae, aeterna pace atque tranquillitate, rata
esse iubeat. Dab. Regiom. Boruff. die IX. Decembr.
A. R. S. MDCCLXIII.



I. N. I.

§. I.

Ecclēsia Christiana non indiget iurisdictione proprie sic dicta, quae cum imperio & coercitione coniuncta, externis medijs vitur, subditorum actiones ad normam legum dirigendi. Est enim societas fidelium per eandem fidem Christianam vnitorum, quae pro communi fine habet veram religionem, seu cultum diuinum, ex fide christiana instituendum (a). Iste finis vt obtineatur, aequalia media in Ecclesia sunt adhibenda, quae non in puniendo, sed in docendo, non in violenta coactione, sed in conuictione consistere debent. Religio equidem versatur circa credenda & agenda; posterius autem ex priore demum fluit, & sicuti religio interna non nisi a cognita doctrinarum fidei veritate, & assensu iisdem dato dependet, ita & externus Dei cultus, pro superuacaneo habendus est, si non ex interna fide & conuictione deriuatur, sed secundum arbitrium & praescriptum alterius externa vi & coactione extorquetur (b). Videmus itaque, quod Ecclesia qua talis, nullam habeat iurisdictionem, nullum quoque iudicium, sed sicuti finis eius est plane spiritualis, cuius intuitu

*Ecclesiae
Christianae
non compe-
sit Iurisdic-
tio.*

non

A

omni

omnimoda conscientiae libertas requiritur, ita & media spiritualia ad eius consecutionem requiruntur. Interim non dubitandum est, ecclesiae inesse potestatem quandam ecclesiasticam, quae consistit in iure determinandi ea, quae ad ecclesiae finem obtinendum, & promouendum pertinent (c). Cum autem ecclesia per se & sua natura omne imperium respuat, facile colligitur, singula Iura, quae ex potestate ecclesiastica fluunt, omnibus ecclesiae membris esse communia, & inde nasci ius quoddam collegiale, quod mutua omnium conuentione exercetur, cuiusque exercitium sub nomine regiminis ecclesiastici, seu disciplinae ecclesiasticae (d) venit. Verumtamen prioribus non obstat, quod per similem conuentionem, regimen istud ecclesiasticum in prudentiora quaedam ecclesiae membra deuoluatur, quorum arbitrio & determinationi ea relinquuntur, quae ad salutem & finem ecclesiae obtinendum respiciunt, quo facto his committitur directio & cura quaedam ecclesiastica, cui reliqui focii ex pacto se libere submitunt, quae tamen nullo modo in imperium degenerare potest. Eiusmodi indolis & naturae, haecenus summarie tantum exhibitae, fuit primaenus Ecclesiae status ab ipso Christo adornatus. Viuente Saluatore nulla in usu erant iudicia, quae iurisdictionem aliquam Ecclesiae propriam prae se ferrent: inde Christus ipse se potestati ciuili subiectum professus est (e), cum Principi seculari tributum solueret, nec postea ad iudicium ciuile deductus, de incompetencia fori exceptit (f), cuius exemplum & Apostolos secutos esse aperte in sacris paginis legitur (g). Licet enim Ecclesia Christiana, a prima sui fundatione generalem omnium societatum naturam induerit, & iam hoc tempore episcopis seu presbyteris & Diaconis condecorata fuerit, qui cum iura societatis generatim, tum singulorum membrorum propria determinarent (h), hi tamen
non

*Primaenus
ecclesiae
Christiannae
directio.*

non potestatem aliquam legislatariam sibi vindicare potuerunt, sed omnia consensu populi in conciliis adornabantur, & exacta independentia ac aequalitas vbique in Ecclesia obseruabatur. Ipsa, quae mox introducta fuit, Romani & Constantinopolitani Episcopi, prae ceteris praecellentia, nondum rem eo deduxit, vt illi auctoritatem iudicum totius Ecclesiae Christianae nanciscerentur, sed potius consuetudinis esse coepit, vt ecclesiae reliquarum prouinciarum, ad episcopum, qui primariae vrbs coetum in prouincia quadam dirigebat, de rebus communibus legatos ad concilia ablegarent (i), quod & in eo vtile visum fuit, vt certus ac determinatus esset locus, vbi de communi Ecclesiae Christianae salute, politica, & ordinatione conueniretur. Interim facile ad existimandum est, ex hac praerogatiua, & honore, Episcopis ex libera voluntate [& consuetudine potissimum exhibito, pedetentim prorepisse iudicalem illam auctoritatem, & insignem iurisdictionem, quae tractu temporis omnia fora peruagata est, & saepissime iudicia secularia penitus euertere intenta fuit.

(a) Georg. Lud. Boehmeri Princ. Iur. Canon. spec. Iuris Eccles. publ. & priuati. Part. gen. Tit. 1. §. 3. (b) Idem l. c. §. 2. (c) Idem l. c. §. 6. (d) Iust. Henn. Boehmer Instit. Iuris Canon. ad method. Decretal. Lib. I. Tit. I. §. VII. (e) Matth. XVII. 27. (f) Ioh. XIX. 11. (g) Act. XXV. 10. 11. (h) Io. Laur. Mosheimii institutiones histor. ecclesiasticae antiquae & recentioris P. II. §. 5. 6. sequ. (i) Ioann. Henr. Christ. de Selchow D. Elementa hist. iur. vniuersi. Part. II. Cap. I. Sect. I. §. 95.

§. 2.

Quo facilius autem intelligatur, vnde enata sit hodierna facies iudiciorum ecclesiasticorum, quae iure antiquo penitus sublato, non apud Pontificios solum praevalent, & secularem iurisdictionem sibi subordinatam esse contendunt, (a) verum etiam in foris Protestantium a iudiciis ciuilibus sollicite distinguuntur; breui-

Origo & Progressus Iurisdictionis Ecclesiasticae.

bus ad originem & progressum Iurisdictionis Ecclesiasticae descendere animus est. Audiamus primo Sarpium, qui concinne de hac materia sequentem in modum disserit (b) Il est encore a remarquer ici, qu'en ce tems-là comme les benéfices étoient de très grand revenu, les Evêchez se donnoient aux principaux de la Cour, & que le Prince confioit a ces Evêques une bonne partie du gouvernement politique. Du commencement, il ne les y employoit, que par occasion, mais dans la suite, voiant que les affaires réussissoient entre leurs mains, il se servit d'eux ordinairement, non pas pourtant, de la même manière dans toutes les Villes, mais selon les besoins du lieu, & l'habilité de l'Evêque, & quelquefois aussi selon l'incapacité du Comte, à qui l'on suppléoit en lui substituant l'Evêque, & cela fut cause, que la Posterité de Charlemagne, venant a dégénérer, & a tomber enfin dans une profonde ignorance, les Evêques s'avisèrent de ne plus reconnoître cette autorité, comme reçue du Prince, mais de se l'attribuer & de l'exercer comme propre de leur ministère, sous le nom de Iurisdiction Ecclesiastique. Et tel fut le commencement de cette iurisdiction, que nous voions maintenant toujours contestée, & défendue contre les Princes, jusq' a mettre quelquefois la confusion dans le meilleur gouvernement civil., In genere notari meretur, omnem potestatem coercitivam, qua Clerici in iudiciis suis vtuntur, esse partem iurisdictionis secularis, ex qua eandem veluti delibatam & elicitam animaduertimus, quamvis omnino negari nequeat, Ius Canonicum ad exemplum quidem Iuris Ciuilis, compositum, multa tamen eius capita emendasse, & in Praxi ipsa Iuri Ciuili saepius praefendum esse (c). Quum vero iurdictio nec ecclesiae propria sit, nec ab initio in ipsa fundatione cum eadem communicata fuerit, (§. I.) non nisi Principum secularium indulgentiam

cam

eam obtinere potuit. Originem Iurisdictionis ecclesiasticae principaliter promouit Imperatorum conuientia. Posteaquam Constantinus M. siue politicis rationibus ductus, siue de veritate religionis Christianae conuictus, publice eandem professus est, & Imperatoria tutela dignam iudicauit, libertas ecclesiae christianae, & Clericorum auctoritas in dies accrescere coepit. Constantinus enim non modo Ecclesias insigni liberalitate dotauit, & Episcopos in curia sua summis honoribus excepit, sed & nudum arbitrium, quod olim Episcopis & Presbyteris competierat, ceu iuris dicendi potestatem, ipsis collatum esse voluit, & expressam constitutionem sanciuissetur, vt, quod Episcopi iudicassent, id plenissimum Iuris robur & omnem sententiae auctoritatem haberet (d): unde & Nicephorus (e) testatur, Constantinum omnes clericos immunes & liberos declarasse, iudiciumque & iurisdictionem in illos, episcopis, si quidem ciuiliu iudicium cognitionem declinare vellent, mandasse. Semel itaque introducta episcopali eiusmodi audientia, vi cuius Episcopi ex dispositione & approbatione Imperatorum decidendis & dirimendis causis vacarunt, mirifice potestatem suam extenderunt, & tandem quoque causas mere ciuiles ad forum ecclesiasticum trahere conati sunt. Post haec enim tempora magis magisque solliciti fuerunt, recens oblatam immunitatem augere, & eiusmodi legibus munire, quibus simul in posterum, de non amittendo nouo iure securi redderentur. Proinde, referente Gratiano (f) in Concilio Chartaginensi III. a. 397. statutum est, quod clerici, qui coram iudice seculari litigare elegerint, in causa ciuili illud perdere debeant, quod euicerunt, si locum suum obtinere maluerint. Seculo V. nouum splendorem acceperunt iudicia ecclesiastica ex variis Imperatorum constitutionibus, quae in fauorem cleri prodierunt. Honorius Imp. solas quidem
A 3
reli

religionis causas Episcopis decidendas reliquit, sed tam firmas eorum sententias esse sanxit, vt damnatus eas nulla arte infringere, neque ex aula suffragium sperare posset (g) immo non multo post idem ad exemplum Constantini M. episcopis concessit, vt & in aliis causis secularibus tanquam arbitri eligerentur (h). Subsequentibus temporibus accesserunt praecipuae constitutiones Valentiniani III. (i) Marciani (k), qui in oriente vtrumque forum ecclesiasticum & ciuile patere voluit, ita vt electio & arbitrium esset penes actorem, & Leonis, qui Antecessoris sui sancita renouauit, & quodammodo correxit (l). Ineunte Seculo VI. decreta praecedentium Synodorum primum in Conciliis Gallicis renouata sunt, vt in Agathensi & Epaonensi factum est, (m) in primis autem tempore Iustiniani plures constitutiones promulgatae sunt, quibus & auctoritas iudiciorum ecclesiasticorum firmiter stabilitur, & distinctio inter causas spirituales ac seculares, quam antea Imp. Gracianus a. 376. (n) iam in medium protulerat, retinetur, ac paulo accuratius determinatur. Pertinent huc praesertim Nouellae Constitutiones LXXIX, LXXXIII, & CXXXIII. in cuius capite XXI. ea, quae ad iudicia Clericorum dimittenda sunt, multifariam proponuntur, seruatis tamen potissimum iis, quae in Nov. LXXXIII. proposita leguntur. Talis in summa concipiendus est antiquus ecclesiae status, in quantum nuda Episcoporum de causis ecclesiae notio, iure collegiali primum exercita, tractu temporis ex indulgentia Imperatorum, data episcopali audientia, quotidiana incrementa cepit. Ex omnibus autem hactenus recensitis constitutionibus atque decretis nondum euinci poterit, quod Clerici aliam iurisdictionem nacti fuerint, quam quae ipsis a Principe & magistratibus secularibus, in causis ecclesiasticis asse-rebatur. Facile equidem largimur, aliquando liberio-rem fuisse Episcoporum potestatem, prout Principes, vel magis,

7

magis, vel minus Clericorum illecebris, sub colore religionis capiebantur, sed superioritas & auctoritas Imperialis ubique agnita fuit in dirigendo ecclesiarum iure, prout & in conuocandis conciliis oecumenicis, & approbandis eorum Canonibus semper necessaria reputabatur (o). Ipsi Imperatores debitam curam adhibuerunt, ne per abusum concessi arbitrii, se latius extenderet Episcoporum potestas. Inde Honorius a. 399. in occidente constituit, quod Episcopis iudicare conueniat, quoties de religione agatur, ceteras vero causas, quae ad ordinarios cognitores, vel ad vsum iuris publici pertinent, legibus oporteat audiri (p), & Iustinianus legem 29. C. de Episc. aud. expresse restrinxit ad causas ecclesiasticas, in ceteris vero auctoritatem iudiciorum ciuiliu[m] consistere iussit.

- (a) C. 10. D. 96. (b) Paulus Sarpus de beneficiis §. 17. (c) I. H. C. de Selchow Elementa hist. iur. vniu. Part. IV. Sect. II. §. 419. (d) Casp. Ziegleri Dissertatio de Iurisdictione & Iudicio Episcopali, §. 32-34. quae extat in tractatu de Episcopis. (e) Nicephori Callisti historia ecclesiastica lib. VII. c. 46. (f) c. 43. C. 11. qu. 1. (g) l. 14. C. de Episc. & Cler. (h) l. 8. C. de Episc. aud. (i) l. 47. C. Th. de Episc. &c. (k) l. 13. C. de Ep. aud. (l) l. 33. C. de Episc. & Cler. (m) C. Ziegleri Dissert. supra all. §. 68. & c. 17. & 47 C. 11. qu. 1. (n) l. 23. C. Th. de Episc. eccles. & Cler. (o) Christ. Wilh. Fr. Walchii Historie der Kirchen-Verfassung. p. 225. 229. (p) l. 1. C. T. de relig.

§. 3.

Paulo liberio[re]m potestatem Clerus primum accepit in Francia, vbi post obitum Clotarii, perniciosae inter eius filios exortae sunt contentiones, cum omnes simul Reges dicerentur, & perpetuis bellis se inuicem persequerentur. Perturbationem istam ex tetrarchia natam Episcopi non minimum fouerunt, & affectatae suae auctoritati ita prospexerunt, vt plenaria fere iudiciorum secularium declinatione demandata iurisdictione ipsis assereretur (a), cuius nomine hactenus nondum vsi fuerant, quae

*Incremen-
ta & sum-
mum fasti-
gium Iuris-
dictionis ec-
clesiasticas.*

quaeque in locum episcopalis audientiae successit. In-
 eunte seculo nono Carolus M. Imperatoria dignitate
 condecoratus est, & quia eandem, intercessioni Episcopi
 Romani, maxima ex parte debebat, huius fauoris me-
 mor, urbem Romam cum territorio adiacente, Episcopis
 Romanis subiecit, salua tamen imperatoria maiestate &
 supremo in iis imperio, qua donatione hodienu[m] niti-
 tur Patrimonium Pontificum Romanorum. Ceteroquin
 Carolus amplissimam Episcopis concessit auctoritatem,
 non sine ratione politica, vt Clericorum, ope, gentes,
 quas nouiter deuicerat, in fide & obedientia ciuili resi-
 nerentur. Complures inter Consiliarios adsciuit & Reg-
 ni comitiis interesse uoluit, immo vix quicquam altioris
 momenti negotium gerebatur, in quo non simul Proce-
 rum ac Episcoporum consilium requisitum fuerit (b)
 Magnopere inter constitutiones, quae in fauorem Cleri-
 calis Iurisdictionis sancitae sunt, eminet illa quae Theo-
 dosio Iun. primum tribuitur, & in Codice Iustiniano qui-
 dem non inuenitur sed a Carolo M. in Capitularibus re-
 petita est, (c) & Canonum compilatoribus ita placuit, vt
 omnes eam in collectionibus suis extare uoluerint. Iac.
 Godofredus eam tanquam extrauagantem Lib. XVI. Co-
 dicis Theodosiani tit. de episcopali iudicio subiunxit,
 quoniam eandem, permultis adductis argumentis falsam
 esse arbitratus est: sed plenius a Gratiano sequentem in
 modum recensetur: (d) „Quicumque litem habens, siue
 „possessor siue petitor fuerit, vel in initio litis vel decur-
 „sis temporum curriculis, siue cum negotium peroratur
 „siue cum iam coeperit promi sententia, iudicium elege-
 „rit sacrosanctae sedis Antistitis, illico sine aliqua dubita-
 „tione etiamsi alia pars refragatur, ad Episcoporum iu-
 „dicium cum sermone litigantium dirigatur &c.„ In
 sequentibus (e) Gratianus ipse prouocat ad capitularia
 Caroli M. quibus eadem constitutio inserta dicitur: sed

DD.

DD. plerique suspicionem fouent, eam esse fictam & supposititiam, ac de earum constitutionum numero, quas falsarii quidam miscelliones sequiore aeuo e variis centonibus confutas effinxerunt. Nihilominus Imperator non omnem Laicis Iurisdictionem in Clericos ademit, sed potius fanciuit, vt, si Episcopi non vellent, aut non possent causas controuersas dirimere, libera personis ecclesiasticis esset aditio ad Iudicem secularem. Eadem ratione Carolus Iura sibi competentia strenue seruauit, & ea, quae statum ecclesiae externum, formamque Ciuilem concernebant, vt & inspectionem Cleri, ac supremam eius directionem sibi propriam vindicauit. Hinc neque multum vsus est Codice Canonum Dionysiano, quem Hadrianus ipsi, dono transmiserat, vt eodem ad adornandum ecclesiae statum in Occidente vteretur; sed potius ipse de emendandis Clericorum moribus, per promulgata Capitularia sua, & inquisitionem Missorum Regiorum sollicitus fuit (c). Post obitum Caroli M. nouam cum quolibet seculo formam Iurisdictio Episcopalis accepit, quam partim regnans vbique huius aeui barbaries, negligentia, imperitia, & desidiosâ Iudicum secularium vita, laxiorem & eminentiorem reddidit, partim errores ex superstitione nati, de iudicio Episcopis ex Iure diuino competente, auxerunt, partim & dignitates & aulica Clericorum officia, aliaeque causae interuenientes in dies maiori splendore condecorarunt. Prae ceteris Gregorius VII. vir excelsi animi, & portentosae ambitionis, caput extollere coepit. Is Introducta doctrina de iure duplicis gladii, rem penitus inuertendo, omnem omnino Principum maiestatem, & auctoritatem a sede Romana proficisci contendit, & tantum ipsis competere iudicauit, quantum Pontificis indultu nanciscerentur. Proinde sub eius praesidio a. 1075. in concilio Romano fancitum est, vt quicumque vel episcopatum &

B

abba-

abbatiā conferret, vel de manu alicuius laicae personae inuestituram reciperet, anathemate plecteretur (d). Quum itaque ipsis Imperatorum ac Principum manibus omnem potestatem eripere praesumerit, nullum superest dubium, eum multo minus secularium magistratuum iurisdictionem attendisse, praecipue cum conatibus eius mire faueret ratio illorum temporum, quae omnimodae hierarchiae in orbe Christiano viam sternere videbatur. Euenit tandem Seculo XII. vt iurisdictione ecclesiastica in summum auctoritatis culmen eueheretur, & status in statu, regnum in regno conderetur. Firmata Pontificum Romanorum sede, plenitudo potestatis penes illos effingebatur, ceteri vero episcopi ab iis in partem sollicitudinis vocati censebantur. Singulis porro Episcopis pars quaedam gregis adscripta existimabatur, pari potestate & proprio iure regenda, saluo tamen Pontificis primatu, & saluis praerogatiuis pacto vel obseruantia definitis (e). Inde iam Episcoporum iurisdictione ex administrativa siue mandata in propriam abiit, ipsi iudicia more Romanorum, composuerunt, officiales hinc inde constituerunt, & potestatem suam ad causas mere ciuiles extenderunt, quemadmodum & in omnibus causis prouocatione ad Pontificem, omisso iudice intermedio, certari posse contendebatur (f). His itaque praecognitis, & sancitis Pontificiorum pro firma veritate habitis, iurisdictione ecclesiastica seu spiritualis, iam inuoluit potestatem publicam ius dicendi, in causis potestati ecclesiasticae subiectis, siue causarum omnium ad forum ecclesiasticum de iure pertinentium, correctionem, reformationem, & censuram (g). Ab hac iurisdictione, quae ecclesiae h. e. clericis maioribus ecclesiam repraesentantibus competere fertur, distincta est iurisdictione secularis seu temporalis (h), quae spirituali subordinata censetur

(S. 2.),

(§. 2.), & reipublicae seu Principibus secularibus rempublicam praesentantibus adiudicatur.

- (a) Ge. Lud. Boehmer Princ. Iur. Can. Part. gen. Tit. III. §. 30. a
 (b) C. Ziegler dissert. sup. alleg. §. 91. seq. (*) Io. Gott Heineccii Elem. Iur. Germ. Lib. III. Tit. I. §. XXXIII. (β) C. II. qu. I. c. 35. γ) C. II. qu. I. c. 37. (c) I. H. C. de Sclchow Elementa Historiae Iuris. Part. II. Cap. I. Sect. III. §. 105. (d) Henr. Norisus in histor. inuestiturarum p. 39. seq. (e) Ge. Ludw. Boehmer Princ. Iur. Can. P. 9. t. III. §. 31. (f) C. 2. q. 6. c. 4 & c. 59. X. de appellat. (g) C. 16. X. de officio iudic. ord. (h) C. 16. X. de foro competente.

§. 4.

Quo plenius differentia inter utramque istam iurisdictionem eluceret, omnino necessarium foret, causas seculares ab ecclesiasticis accuratius discernere, & genuinos characteres ostendere, vnde spiritualitas causarum cognoscenda esset. Quum vero consummatissimi Doctores ex ipsis principiis Iuris Canonici comprobaerint, certam regulam definiri non posse, vnde istiusmodi causae rite diiudicarentur, immo nec instituti mei ratio poscat, seriem causarum ecclesiasticarum hoc loco sigillatim recensere; huius materiae discussioni impune non immorabor, sed tantum generalia quaedam in medium proferam, quae sequentium Sphorum illustrationi, pro ratione scopi mei inseruiunt. Thomasia (a), Stryckii (b), Boehmeri (c), vnanimi ore fateantur, ipsos Canonistas vel nescire, vel ad minimum non confentire, quatenam causae regulariter iurisdictioni ecclesiasticae subiectae sint. Tot enim insuper inuentae sunt diuisiones iudiciorum & fori, in iudiciale & poenitentiale, iudiciale & conscientiae, externum & internum, soli & poli &c. quarum ipsi termini plerumque obscuritate & ambiguitate scatent, & aliquando, synonymorum instar promiscue adhibentur, alibi vero admodum confuse expositi ab inuicem secernuntur. Tantum hic saltem

*Distinctio
inter causas
ecclesiasticas,
& ciuiles.*

annotasse sufficiat, quod prima huius distinctionis origo debeat Imperatori Gratiano (§. 2.), cuius verba d. l. ira se habent: „Qui mos est causarum ciuilium, idem in negotiis ecclesiasticis obtinendus est: vt si quae sunt ex quibusdam dissensionibus leuibusque delictis, ad religionis obseruantiam pertinentia, locis suis & a suae dioeceseos Synodis audiantur, exceptis, quae actio criminalis ab ordinariis extraordinariisque iudicibus, aut illustribus potestatibus audientia constituit.“ Hic itaque causae ecclesiasticae versari dicuntur, 1) circa religionem & dogmata fidei, 2) circa leuia quaedam delicta ordinem ac disciplinam ecclesiasticam concernentia, cognitio autem de criminalibus & delictis communibus, seculari Iudici salua est relicta. Eandem distinctionem Iustinianus seruauit (§. 2.); sed posteaquam res Clericorum, feliciori successu progredi coeperunt, ampliora etiam facta sunt iudicia episcopalia, inprimis cum causas quoque mere ciuiles ex accidente ad forum suum trahere inchoauerint. Eminent inter huiusmodi colores, praetextus peccati incidentis, qui sane vberimus Clero visus est, ad amplificandam iudicalem potestatem. Inuenta est eum in finem denunciatio euangelica, cuius natales ample recenset immortalis nominis ICtus Iust. Henning. Boehmerus (d). Hac enim adhibita Iudex ecclesiasticus imploratus super quacunque causa iudicare & procedere poterat, vbi peccatum imminere videbatur, & huius ope Pontifex inter ipsos Reges ac Principes de prouinciis contendentes, auctoritatem suam interponere tentauit (e). Pari modo Episcopalem iurisdictionem loquopletauit recens inuentum causarum mixti fori, quorsum ex mente iuris Pontificij praesertim referuntur causae miserabilium personarum (f), cognitiones de usurariis contractibus (g), & alia delicta, quae mixti iuris sunt, quibus primario, concubinatus, adulterium, stuprum,

prum, incestus, & reliqua crimina carnis accensentur. Posteaquam enim seculo XII. Iudicia ecclesiastica ad normam ciuiliū instituta, & pleno processu omnia excussa sunt (§. 3.), saepius contentiones ac discordiae inter iudices seculares & spirituales exortae sunt, cum hi sibi iusto plus arrogarent, & non tantum poenitentiis ecclesiasticis delinquentes afficerent, verum & poenas pecuniarias vel corporis afflictiuas iisdem infligerent, & cuncta penitus ad aemulationem Iuris Imperatorii susciperent. Hinc ad componendas hasce lites, separatio ipsorum criminum utilis visa est, & quaedam solum ad forum ecclesiasticum, quaedam tantum ad seculare, quaedam ad vtrumque deducta sunt, ita vt in iis iuri praeuentionis locus esset (h), quo facto simul Clerici sibi prospexerunt, vt potius cum aliis quicquam diuidere, quam illud penitus amittere maluerint. Generaliter iam causae ecclesiasticae dispescuntur, in mere ecclesiasticas seu spirituales, quae cultum diuinum externum immediate respiciunt, & ecclesiasticas mixtas seu ex accidente spirituales, quae mediate quidem concernunt cultum diuinum, sed per se & natura sua seculares sunt, quales sunt officia ecclesiastica, patrimonium ecclesiae, & quae respectum quendam spirituales habere videntur, vnde huc quoque secundum Ius Canonicum referas causas sponsalium & matrimoniales, delicta ecclesiastica, beneficia, ius Patronatus, loca sacra & religiosa, decimas ecclesiasticas, bona ecclesiastica &c. (i). Integram hanc doctrinam de iurisdictione & causis ecclesiasticis etiam Protestantes receperunt, & solidum istiusmodi causarum fundamentum vix dari potest, nisi Ius Canonicum in subsidium adhibeatur, vnde fere regula valet: Quaecunque causae de Iure Canonico ecclesiasticis annumerantur, in foris Protestantium quoque in consistoriis sub eadem qualitate ventilantur (k). Aliquando

quidem causae in ordinationibus ecclesiasticis determinatae sunt, sed principiis iuris canonici exacte observatis. Sic in ordinatione eccles. Elect. Saxon. sequentes recensentur (1): „Erstlich alle Ehesachen, wie sie Namen haben, welche durch die Superintendenten, und jedes Orts Obrigkeit auf die ihm zugestellte Ordnung nicht können verrichtet und verglichen werden, 2) alle ärgertliche Sünde und Laster an den Lehrern und Zuhörern, wieder die erste und andere Tafel der Gebote Gottes, allein so viel die gradus admonitionis und nicht die weltliche Strafe belanget, wie solche in denen Synodis verordnet worden. 3) Alle Sachen der Pfarrer, Kirchen- und Schuldiener-Vocation, Amt, Dienst, Lehen, Wandel, Translation, Dimission, Suspension, Handlung und Verbrechung belangend, auf Maaß, wie bey denen Synodis verzeichnet. 4) Alle Sachen, so in der Kirchen, Schulen, Hospitalen, und gemeinen Lastern, Güter, Lehnen, Einkommen, Nützung, Gebäud und Besserung, dazu der Kirchendiener Befoldung betreffen, 5) der Ruster und anderer Meutesrey oder unordentliche, ungebührliche Sachen wieder die Pfarrer und Kirchen-Diener, 6) und in Summa was in den Kirchen-Regiment gute Anordnung und Verbesserung erfordert, soll alles auf die gegebene Maaß in den Consistoriis verrichtet werden.“ Circa singula haec capita cum Elect. Saxonica coincidunt Ordinationes consistoriales Hasso-Casseliana, Cellensis, Pomeranica, & Marchica, in qua adhuc adiectum est: „Deßgleichen der Geistlichen Testament und Zehend-Sachen sollen unsre Consistoriales zu confirmiren, und zu richten haben.“

(a) Christ. Thomafius ad I. P. Lancellotti Institut. Iur. Can. Lib. I. Tit. III. not. 4. (b) Ioh. Sam. Stryckii dissertatio de reliquiis Sacramenti in matrimonialibus cap. 2. §. 6. (c) Iust. Henn. Boehmeri Jus Ecclesiast. Protestantium Lib. II. Tit. II. §. XIV. XXII. XXIII. (d) Idem eod. s. V. sequi. (e) c. 13. X. de iudic. (f) c. 26. X. de V. S. in fin. (g) t. X. de vsuris. (h) Martin Schraderus de causis fori ecclesiastici: tit. II. (i) Idem lib. eod. & uterque Boehmerus passim

passim in libb. sups. all. (k) Iust. Henn. Boehmer I. E. Pr. L. II. T. II. §. XXIII. (l) Corpus Iuris Saxonici p. 368.

§. 5.

Hodie iam expediti iuris est, causas matrimoniales a Pontificiis aequae ac Protestantibus communiter ad ecclesiasticas referri (a) (§. 4.) Illi quidem nouo dogmate, quod matrimonium sacramentum sit, principaliter suffulti, omnes quaestiones ac controuersias de iure aut validitate matrimoniorum ad forum ecclesiasticum traxerunt, adeo ut fere haec vnica causa sacramenti in foro contentioso peragatur, cum reliquae rarius in litem deducantur. Protestantes autem doctrinam Pontificiorum de sacramento matrimonii equidem non agnouerunt, neque sub eius praetextu causas matrimoniales in foro ecclesiastico definiunt: interim tamen, omnes fere conclusiones, quae ex sacramentali coniugiorum proprietate fluunt, nescio, quo fundamento retinuerunt, & hinc exacte pronunciatum secundum leges Iuris Canonici, nisi in quantum illud vel circa prohibitionem graduum, vel dispensationem & alia accidentia, per Constitutiones Imperii publicas, aut per specialia prouinciarum statuta & ordinationes limitatum est (b). A nonnullis Doctoribus causae matrimoniales mixti fori esse perhibentur, modo ad ecclesiasticum, modo ad seculare forum pertinentes: distinguunt enim; utrum quaestio super matrimonium incidens consistat in facto, an in iure, vel aliter; num super subsistentia aut validitate matrimonii controuersia nata sit, & petitorie de iure agatur, aut iudicium possessorium de recuperanda forsitan vxore instituatur (c). Sed superflua videtur integra distinctio, quia possessorium est mere temporale, & semper in iudicio ciuili ventilatur, adeoque sua natura ad cognitionem iudicis secularis pertinet (d). Nihilominus tamen fecius praxis contrarium docet, & Pontificii asserentes,

Causae matrimoniales accensentur ecclesiasticis.

tes, hanc causam mixti fori esse, praeuentioni iterum locum praebent, nisi vel reus sit clericus, vel uterque litigantium hac qualitate praeditus, ubi rem plane ad iudicem ecclesiasticum deducendam esse contendunt. Eidem fere sententiae adstipulantur Protestantes, vnde ex ea ratione, quod possessorium cum petitorio sit conexum, adeoque non temere dissoluendum, promiscue etiam de solo possessorio in curiis ecclesiasticis agi solet (e). Ceterum Ius Canonicum non solum causas ex consummato matrimonio prouenientes, quibus iam character sacramenti inesse perhibetur, suas fecit, sed etiam, causas sponsaliorum, si vel maxime de futuro sint, nec pro sacramentis haberi queant, immo quoque causas stupri, aliaque coniugum delicta, quae ad suspendendum vel dissoluendum matrimonium faciunt, ut adulterii, malitiosae desertionis, insidiarum vitae strumarum, & fauiciarum cognitionem iudici ecclesiastico vindicauit, quamuis has causas etiam mixti fori nominent (§. 4.), & ad iudicem civilem deferri sinant, si in stupro ad nudam satisfactionem priuatam, & alimentacionem partus, vel in reliquis delictis ad poenam civilem, vel repetitionem dotis agatur (f).

- (a) C. 7. X. qui fil. sint legitimi, & c. 16. X. de off. & pot. Iud. de leg. (b) F. I. Bartholdi Disp. de autor. Iur. Can. inter Aug. Conf. Consortes. Sect. II n. 137. (c) Theod. Reinkingk tractat. de regim. sec. & eccles. L. 3. Class. I. C. 10. n. 20. seqq. (d) Gallius lib. I. obs. 38. n. 3. 4. (e) Brunacmannus lib III Iur. Eccl. e. I. §. 31. (f) I. H. Boehmer Ius Eccl. Pr. L. II. T. II. §. XXVIII.

§. 6.

*Causae matrimoniales
quaenam
sint.*

His praemissis paulo diligentius hoc loco inquirendum erit, quaenam causae proprie sub nomine causarum matrimonialium veniant. Matrimonium ex mente & doctrina Protestantium secundum essentialia sua definitum, est societas maris & feminae indissolubilis, & diui-

diuinitus instituta ad generationem prolis, & mutuam vitam adiutorium ineunda (a). Obiectum matrimonii constituit ipsa coniunctio duarum vtriusque sexus personarum, & ex eadem definitione duplex eius finis cognoscitur, primarius, nempe procreatio sobolis, & secundarius, mutuam adiutorium: quibus post lapsum, secundum nonnullorum sententiam, accessit tertius coniugiorum honeste initorum scopus, scil. libidinis extinctio (b), vt stupra, & cetera impudicitiae peccata euitentur: Etiam si vero accessorium huncce finem salutis assertis meis facile admittere possem, eius tamen defensionem hoc loco declinare, omni meliori modo cum consummatissimis quibusdam DD. apud animum constitui. Cum matrimonium sit institutum diuinum, & in ipsa sacra scriptura certis legibus definitum, facile colligitur, eius obiectum nec in qualibet viri & feminae coniunctione consistere, nec secundum solum ius naturale diiudicandum, sed omnino necessarium esse, vt praescripta Dei, principaliter in coniugio ineundo stricte seruentur. Quia etiam Princeps vel is, qui Reipublicae praeest, potestatem habet, leges vtilitatem & salutem publicam respicientes condendi, & ad easdem tenendas subditos, & ciues firmiter obligandi, sequitur, quod leges, quae circa celebrationem connubiorum, iuri Diuino conuenienter, & melioris ordinis, publicae priuataeque vtilitatis causa promulgatae sunt, aequali iure obseruari debeant, in quibus coniunctim spectatis legalitas & honestas coniunctionis matrimonialis positae sunt. Quoniam porro societas coniugalis ad duplicem finem initur, & si primarius ad minimum adhuc sperari potest, matrimonium secundum leges pro valido habetur (c) facile intelligendum est, quod omnis coniunctio, licet ratione obiecti, leges diuinae & humanae rite obseruentur, regulariter non admittenda, sed potius pro

nulla habenda sit, si finis matrimonii ex eadem neque obtineri neque sperari possit; quanquam post consummationem nuptiarum factam, in honorem matrimonii, uti dicunt, eiusmodi coniugia valere, plurima exempla doceant (d). Obiectum igitur & finis matrimonii primarius in specie considerari merentur, ut genuinum causarum matrimonialium characterem determinare queamus. Causa in sensu nostro spectata a Lancellotto definitur per originem negotii, materiam iudicii dantis (e). Hinc causae matrimoniales erunt quaevis negotia in iudicium deducta, ex factis siue licitis siue illicitis oriunda, quae circa obiectum & finem matrimoniorum versantur. Omnes quaestiones, quae ratione connubiorum in iure ventilari queunt, vel de exercendo aut dissolviendo matrimonio agunt, omnes autem vel obiectum eius vel finem, immediate aut mediate efficiunt, dummodo utrumque secundum leges tam divinas, quam humanas examinaveris. Proinde stuprum, fornicatio, (nisi iam causa efficiens matrimonii, mutuus nempe illud ineundi consensus accesserit,) aliaque delicta carnis, quibus laesio iuris coniugalis non inest, causis matrimonialibus perperam accensentur, adulterium vero, quatenus leges de fide connubiali infringit, immo saepius finem matrimonii partim impedit, partim penitus euertit, ab iisdem non excludendum est.

- (a) I. G. Heineccii Elem. Iur. Civ. ad Ord. Instit. Lib. I. T. X. §. 146.
 (b) 1. Cor. VII. 2. seqq. (c) L. 27. C. de Nupt. l. 6 §. 1. ff. de aedil. edicto. (d) Hieron. Bruckneri Decisiones iur. matrim. controu. Cap. XI. de Coniugio Eunuchi: conf. Autores ibidem allegati.
 (e) I. P. Lancellotti Inst. Iur. Can. Lib. III. Tit. I. §. 1.

§. 7.

*Causae matrimoniales
sua natura
sunt civiles.*

Cum ex antecedentibus clarum sit, causas matrimoniales in iudicium deductas, vel circa obiectum, vel circa finem nuptiarum versari (§. 6.) nemo etiam in dubium

bium vocabit, easdem vel pro ciuilibus, vel pro ecclesiasticis habendas esse, in quantum obiectum & scopus matrimoniorum, vel ad causas ecclesiasticas, vel ad seculares referri possunt. Equidem supra iam ostensum est, quod ecclesia qua talis nullam iurisdictionem exercet (§. 1.), adeoque nec circa matrimonialia externum iudicium instituere queat: quum tamen iam semel differentia inter ciuilem & spiritualem iurisdictionem firmiter stabilita, & inter Protestantes vnanimi fere cum Pontificiis consensu recepta sit, vnde & nostris temporibus distinctionem inter causas seculares & ecclesiasticas vbi que laudatam & inculcatam audimus (§. 4.); in eo tantum indagando solliciti simus, num causae matrimoniales, secundum principia inter Protestantes de coniugijs assumta, ecclesiasticis potius, quam ciuilibus negotijs accensendae sint. Si quidem rei veritatem ab exemplis petere liceret, facile probandum foret; matrimonium vbi que pro negotio ciuili habitum, eiusque causas in foris secularibus tractatas fuisse, antequam Clerus sub varijs praetextibus etiam causas mere seculares suae diiudicationi vindicauit, & inprimis subsequenter temporibus, doctrina de sacramento matrimonii introducta est. Eiusmodi secularem causarum coniugalium cognitionem prae ceteris, exempla Imperatorum in Oriente, Alexii Comneni, Theodosii & aliorum, & in Occidente Caroli Calui, Conradi & Ludouici IV. testantur, quorum vltimus inter Ioannem Regis Poloniae filium, & Margaretham Ducissam Carinthiae, ob illius impotentiam, definitiua sententia diuortium decreuit; nec non super propinquitatis gradu postea inter Ludouicum, Marchionem Brandenburgicum, & distam Margaretham pronunciauit (a). Eandem fere potestatem, iudicio ciuili, recentiori aeuo, apud Gallos recte assertam atque defensam animaduertimus, vbi de validitate matrimonii sine consensu

fu parentum vel eorum, quorum approbatio Iure civili
 requiritur, contentiones cum curia Romana subortae
 erant. Seculo enim XVII. Regis Galliarum Ludouici
 XIII. frater Gaston, clandestine, incio Rege duxerat
 Margaretham sororem Ducis Lotharingiae, quod ma-
 trimonium Rex, suafu Richelii annullandum constitue-
 rat (b). Frustraneo conatu res apud Pontificem agitata
 est, qui matrimonium intuitu ecclesiae validum nec dis-
 soluendum esse contendit, quod sacramentum in eo con-
 tineretur: Galli autem in sua substituerunt sententia, &
 defenderunt, matrimonio, quatenus est negotium civile,
 per leges ciuiles impedimenta poni posse, & si contra
 easdem initum sit, illud pro nullo habendum, ac inter
 non entia referendum esse, cui nec sacramentum acce-
 dere possit. Ista sententia plenius cognoscitur ex ver-
 bis Hericourtii ita ratiocinantis (c): Comme le sacre-
 ment de mariage a pour fondement le consentement
 mutuel des parties, qui se promettent une union indis-
 soluble, ce contract est en même tems civil & spirituel.
 D'ou il faut conclure, que les souverains peuvent met-
 tre des empêchemens au mariage, non pas en donnant
 attente directement au sacrement; mais en déclarant
 nul le contract civil, sans lequel il ne peut y auoir de
 sacrement. Iesus Christ en élevant le mariage a
 la dignité de sacrement n'a point depouillé les prin-
 ces du droit, qu'ils auoient sur le contract le plus
 important de la société, & l'église a fait executer les
 ordonnances, qui declaroient nuls les mariages contra-
 ctés entre certaines personnes., Agnoscunt igitur
 ipsi Pontificii, quod matrimonia in se sint negotia ci-
 uilia, quae notam spiritualitatis demum a sacramento
 accipiunt, & inde ab omni cognitione civili, iudicisque
 politicis eximenda sunt. B. Chr. Thomasius longe iam
 obseruauit, mentem Pontificiorum in eo sane conspirare,
 quod

quod matrimonium citra respectum sacramentalem fit contractus mere naturalis. Hinc Thom. Tamburinus dixit, matrimonium fidelium esse contractum naturalem & simul sacramentum, & postea; matrimonium a fidelibus iniri posse, vt contractus tantum, & non vt sacramentum; Eodem modo assertum, quod Couarruias in tractatu de matrimonio enunciauit, testatur; matrimonio per verba de praesenti inter fideles contracto, ante copulam carnalem nullam aliam sanctitatem inesse, quam quae dependet ex sanctitate sacramenti (d). Praeterire nequeo eruditissimum Archiepiscopum Spalatensem de Dominis, cuius cogitationes de natura matrimonii (quia opera eius non in omnium manibus sunt,) hic reperiisse, forte iuuabit: „Matrimonium igitur, inquit, in se & „absolute loquendo, est contractus naturalis, humanus „& ciuilis, non de se spiritualis nec supernaturalis, re- „linquebatur quoad ciuilia ciuili potestati, quam Christus „assumere nunquam voluit, neque Ecclesiae suae trade- „re — Supremorum igitur Principum erit, in suis ditio- „nibus contractui matrimonii condiciones apponere, qui- „bus vel contractus teneat, vel irritus sit, & nullus, dum- „modo nihil contra Ius diuinum statuunt. — Plurimae „tales leges sunt in Codice tam Theodosii, quam Iustini- „niani & in Pandectis Christianorum Imperatorum & „sane piorum — sed nostri Pontifices, ne viderentur a „legibus pendere laicis, suis Decretalibus easdem leges „sanxerunt, quae tamen etiam ante Decretales inter Chri- „stianos plenam habebant obseruationem. (e)

- (a) Leibnitii Codex Iur. Gent. [Diplomat. P. 1. n. 82. & 83. (b) Michel le Vassor Histoire du Regne de Louis XIII. Tom. VIII. P. I. p. 31.
 (c) Louis de Hericourt traité sur les loix ecclesiastiques de France dans leur ordre naturel. P. III. c. 5. art. 2. (d) C. Thomas. ad Lancelot. Lib. III. Tit. I. n. 16. (e) Marc. Ant. de Dominis de Republ. Eccles. Lib. 5. Cap. XI. n. V.

Idem ulterius ostenditur.

Cum itaque ex adductis pateat, ipso iure Pontificio matrimonia contractibus & negotiis ciuilibus accenseri, si extra respectum sacramenti considerantur, multo magis inde euidens est, quod ex sententia nostratum, qui doctrinae de sacramento matrimonii non subscriperunt, coniugia pro conuentionibus ciuilibus, & causas matrimoniales, pro mere secularibus habendas esse. Sed vt eo melius constet, hanc sententiam neque erroneam, neque recens inuentam, sed in natura ac indole causarum matrimonialium fundatam esse, non inutile erit, breuibus ad discussionem obiecti & finis matrimoniorum descendere, quorum si vtrumque secularem deprehenderimus, nec dubitandum erit, causas matrimoniales in se esse ciuiles. Facile perspicitur, per causas ciuiles siue seculares, quatenus hic opponuntur ecclesiasticis siue spiritualibus, omnia negotia intelligenda esse, quae cultum diuinum externum non respiciunt (§. 4.), sed statum hominum sociale proxime concernunt. Quod si igitur primo ipsam personarum coniunctionem ceu obiectum coniugiorum contemplemur, causa eius efficiens, mutuus videlicet coniungendorum consensus, est mere secularis, & eodem modo, vt in aliis negotiis ciuilibus, vti pactis & contractibus declaratur: nulla quaestio de religione circa eandem incidit, sed potius ad conditionem solum, & futuram prosperitatem personarum in vita ciuili attenditur. Equidem verum est, quod contrahentes non pro libitu & arbitrio suo, nuptias inire, sed potius iuxta voluntatem Dei & praescriptum Principis coniungi debeant: at leges istae naturam coniunctionis non variant, nec characterem spiritualis negotii inuoluunt; quoniam pari modo etiam in contractu societatis, emtionis venditionis, aliisque conuentionibus mere secularibus, leges diuinas pariter ac humanas, perfecte obseruari

uari oportet. Progrediamur ad diuersos matrimoniorum fines, quorum principalis esse debet procreatio sobolis. Homo natura iam intelligit, a Deo non frustra discrimen sexus in suo genere positum esse, & se sicut cetera animalia ad speciem suam conseruandam aptum cognoscit: praeterea utriusque sexui insitum est desiderium, se sobolis procreandae causa coniungendi (a); hinc naturali quodam instinctu, ad primum istum matrimoniorum finem ferimur. de quo Plato (b) prudenter loquitur: „Vxorem ducere debet quisque, cum annos habet triginta, cogitans, quod natura quadam humanum genus immortalitatem consequitur, cuius rei quisque natura summopere cupidus est. „ Nemo autem qui a praediciis alienus est, in hacce prolis generatione spiritualitatem quandam reperiet, quippe quae neque per se ad cultum diuinum quidquam confert, neque solis Christianis propria est, sed ab hominibus barbaris, & vera immo omni religione destitutis, quin ipsis brutis aequali modo perficitur. Quod ad alterum finem, indiuiduam nempe vitae consuetudinem, seu mutuam adiutorium attinet, sufficienter notum est, quod omnia officia coniugalia sub eodem comprehendantur, quae fidem & amicabilem coniugum vitam respiciunt, & ipsis vel communia sunt, vel ab vno eorum in specie alteri debentur, utpote ab vxore, quae ad obsequium marito exhibendum obligatur, ad amorem & auxilium praestandum in educanda sobole, & re familiari curanda, deinde & a marito, cui iniunctum est, vxorem amare atque protegere, eamque consiliis & monitis ad communem familiae vtilitatem dirigere. Quis autem ex recensitis officiis, & aliis, quae iure diuino atque humano in societate coniugali stabilita sunt, euincere poterit, quod finis iste sit spiritualis, & ad Dei cultum principaliter directus: quis, inquam, affirmare audebit, negotia siue licita siue illicita, quae

res

nes iuris & actiones, quae circa istas obligationes conu-
biales in foro ventilantur, ex dogmatibus fidei christianae
diiudicandas atque decidendas esse. Non est, quod de
tertio matrimonii sine, nimirum libidinis extinctione
verba faciam, cum primo statim intuitu appareat, eum
nullatenus ad sanctitatis notam appropinquare. Quibus
perspectis cum satis eluceat, matrimonium quoad ob-
iectum & finem consideratum, esse negotium in se mere
seculare, prono inde alueo fluit, quod causae matrimo-
niales iure meritoque ciuilibus accenseantur. Solidissi-
me Ill. Cocceius hac de re differit (c): „Ius nostrum,
inquiens, „ciuile, negotium hoc matrimoniale respexit
tanquam maxime ciuile, uti quoque in se & sua natura
est, nec vllum inter matrimonium & aliud quoddam
negotium, in vita ciuili occurrens, verum subest discrim-
men, multo minus quicquam spirituale habet: Ast ius
canonicum, cum Pontifices causis hisce matrimonialibus
ad ecclesiasticum forum pertractis, sibi Cleroque suo
multum lucri accessurum spe non vana conicerent, ma-
trimonium pro sacramento venditare sustinet.,” Pari-
modo Celeberr. Puffendorffius (d) cum docuisset, Prin-
cipes habere potestatem inquirendi & cognoscendi, qua-
lia negotia & quomodo eadem in conuentibus Presby-
terorum tractentur, & num forte iustos limites egredi-
antur, vel ea, quae proprie ad imperium ciuile spe-
ctant, iniuste sibi vindicent, sequentia verba subiungit: „
Quo ex genere inter alia sunt causae matrimoniales,
quas nullo aut futili fundamento sacerdotes ad suum
forum pertraxere, magno cum praeiudicio summorum
Imperantium ciuiliu, quorum uti est circa matrimo-
nium leges ferre, naturali & diuino iuri congruas, ita
& si quid circa isthoc controuersiae oriatur, penes eos-
dem est, ius dicere.,” Celeberrimi itaque Iureconfulti
in eo consentiunt, matrimonium esse negotium ciuile,
quod

quod naturam contractus consensualis proxime induere videtur, quare nec Iustinianus dubitauit, idem saepius contractum nuptialem appellare (e). Equidem concedendum est, quod coniugium in sensu Iuris Romani haud dici possit contractus consensualis, quippe qui legibus Romanis ad certam qualitatem & rem ad commercium habilem determinatus est (f), vnde ad officia coniugalia, quae pretio aestimari nequeunt, & non de corporum tantum, sed animorum etiam copulatione agunt, plane non extendendus est: in eo tamen facile cum Doctiff. Thomasio (g) consentimus, quod forte melius foret, & publicae aequae ac priuatae hominum saluti magis inferuiret, si in decisione quaestionum matrimonialium, non penitus a communibus conuentionum seu pactorum principiis recederetur. Quo validiorem denique neruum asserta hactenus in medium prolata & Consummatissimorum Doctorum Sententiis probata, ex verbis etiam Theologi inter nostrates immortalis gloria conspicui nanciscantur, non possum non in fine huius Sphi sententiam B. Lutheri de causis matrimonialibus hinc inde saepius repetitam subiungere. Missis aliis scriptis, vbi imperium politicum circa res matrimoniales masculae defendit, inter alia sequentia verba annotari merentur, quae expresse testantur, eum coniugia & causas matrimoniales negotiis ciuilibus rite accensuisse: „So mancher Land, so manche Sitten, sagt das gemeine Sprichwort. Demnach weil Hochzeit und Ehestand ein weltlich Geschäft ist, gehöhret uns Geistlichen und Kirchendienern nicht, darinnen zu ordnen, oder zu regieren.“ (h). Alio loco sequentem in modum conqueritur: „Ich wehre mich fast, russe und schreye, man solle solche Sachen der weltlichen Obrigkeit lassen: & postea subiicit: „Es kan ja niemand leugnen, daß die Ehe ein äußerlich weltlich Ding ist, wie Kleider und Speise, Haus

D

und

und Hoff, weltlicher Obrigkeit unterworfen, darum will ich schlechthin mit solchen unterworfen seyn, und bitte Jedermann, er wolle mich damit zufrieden lassen (i).

(a) Chr. L. B. de Wolff. Inst. Jur. n. t. & gent. P. III. §. 1. Cap. II.

(b) Plato Lib. IV. de legibus.

(c) Cocceii Diss. de matrimonio

momentario in Proleg. §. 1.

(d) Puffendorff de habitu relig. ad

statum §. 44.

(e) L. f. C. de repudiis & iud. de mor. subl. Nov.

22. c. 19. Nov. 74. c. 4.

(f) §. 18. l. de inutil. stipul. l. 34. §. 1.

& 2. ff. de contr. emtion. vendit.

(g) Chr. Thomassinus ad Lan-

cell. Lib. II. Tit. X. n. 256. II.

(h) D. M. Luther in der Vorrede

des Traubschleus.

(i) Idem in praefatione libri von Ehesach. n.

§. 9.

*Causae ma-
trimoniales
a Protestan-
tibus iuris-
dictioni ec-
clesiasticae
subiiciuntur.*

Posthabitis rectis hisce principiis, inveteratam tamen doctrinam, quod causae matrimoniales sint ecclesiasticae, a nostratibus etiam Theologis & Iure Consultis plerisque, communiter defensam reperiemus, & ipsa praxis ut plurimum docet, earum decisionem in Consistoriis seu iudiciis ecclesiasticis fieri (§. 5.) Nihilo tamen secius Pontificii & Protestantes diversis fundamentis nituntur, huiusmodi causas tribunali politico subducendi. Illorum enim ratio est, quia matrimonium refertur ad sacramenta, quod seu novum dogma primum, docuit Sec. XII. Hugo de S. Victore, quem secutus est Petrus Lombardus, aliique Scholastici, referente Hartknochio (a). Tandem in concilio Tridentino (b) decretum est, quod, si quis dixerit, matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem legis Evangelicae sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam inferre, anathema sit. Ex hoc fundamento statuunt, a nemine quam Pontifice & solo Clero causas matrimoniales decidi, ac dispensationem circa gradus prohibitos impetrari posse, omnia quae ad ratum & legitimum matrimonium requiruntur, ab illorum diiudicatione dependere,

dere, Christianos quoque Principes non posse leges ferre, quae doctrinae Cleri aduerfantur, illos sua matrimonia etiam secundum traditiones ecclesiasticas instituire, & se iudicio Ecclesiae submittere debere, & quae sunt reliqua huius generis consecratoria, ex sacramentali matrimoniorum sanctitate promanantia (c). Protestantes quidem pedetentim agnouerunt, istis Canonistarum principiis, nihil solidi tribui posse, & matrimonium non habendum esse pro sacramento, cuius genuina requisita ipsi deficient: interim tamen crediderunt, causas matrimoniales esse spirituales, in quarum definitione, institutionis & mysterii, quod ipsis inest, ratio habenda sit (d). Eo ipso quidem nihil aliud ostenderunt, quam quod nos quidem non crasse statuamus, matrimonium esse sacramentum, sed aliam tamen spiritualitatem ipsi tribuamus, cuius natura difficilioribus fere tricus & controuersis inuoluta, & multo minus explicata est, quam ipsa doctrina de sacramentali proprietate. Neque desunt inter nos, in quorum scriptis clariora extant sacramenti vestigia, causis matrimonialibus vindicata: ita Carpzouius, postquam in antecedentibus sermo fuerat, quod in matrimonii conditione existente retrahatur obligatio ad tempus promissionis, sequenti modo pergit: „Idque eo magis, quia matrimonium non est contractus tantummodo ciuilis, sed res conscientiae, & tale negotium, cui character spiritualis est impressus, quippe foedus matrimonii sanctissimum, non tam a contrahentium consensu, quam Dei auctoritate & voluntate dependens, esse hinc matrimonium de causis spiritualibus siue ecclesiasticis, (e). Simili modo Reinkingius euincere conatur, quod in causis matrimonialibus, tanquam spiritualibus cognitio Iudicii secularis non sit fundata, quoties de ipsa coniugii substantia, vinculo, iure & viribus eius,

sive de foedere matrimonii in genere quaestio vertitur, sed ad earum diiudicationem necessario requiri personas ecclesiasticas, vbi simul prouocat ad exemplum S. Saluatoris, qui causam diuidendae hereditatis ipsi propositam prorsus reiecit (f), super quaestione autem de diuortio ex verbo Dei ostendit, quid cum norma constitutionis consentiat vel minus, tali ratione testificatur, in causis matrimonialibus occurrere casus conscientiarum, de quibus Theologi & Ecclesiastici consulendi sint (g). Verum non immorabimur, hisce ac pluribus eiusmodi assertis, quae sigillatim ab aliis Celeberrimi nominis Ictis sufficienter refutata sunt.

- (a) Christoph Hartknoch Historia Eccles. Pruten. lib. I. cap. 2. §. 18.
 (b) Conc. Trid. sess. 24. can. 1. (c) Thomas ad Lancell. lib. II. T. IX. §. 2.
 (d) Sigism. Finckelthaus de iure patronatus ecclesiastico c. 4. (e) Benediçt. Carpzou. Iurisprud. eccles. L. II. def. 21. n. 7. 8.
 (f) Luc. 12. (g) Theod. Reinkingk tract. de regim. sec. & eccles. Lib. III. Cl. I. Cap. X. n. 20. seqq.

§. 10.

*Huius iuris-
 dictionis
 quinque ra-
 tiones dan-
 tur.*

Potius operae pretium erit, speciatim inquirere & examinare rationes, quarum intuitu causae matrimoniales etiam apud Protestantes, ecclesiasticis accensentur, & in hunc vsque diem, maximam partem in foro, vt dicunt, spiritali ventilantur. Facilitauit hunc laborem Celebb. Goettingensium Iure-Consultus & Antecessor Ge. Lud. Boehmerus (a), quippe qui breuibus originem iurisdictionis ecclesiasticae in causis matrimonialibus ostendit, & quinque speciales rationes recenset, vnde matrimonium sua natura respectu obiecti & finis, societas mere secularis, characterem negotii ecclesiastici accepit, atque in ecclesia Protestantium sub eodem nomine seruatum & iurisdictioni ecclesiasticae subiectum est. Prima ratio secundum laudatum Autorem nata est

ex

ex confoederata Christianorum disciplina, de causis matrimonii ex iure diuino praeceptisque Christi & Apostolorum aestimandis: alteram constituit forma matrimonii ecclesiastica, benedictio videlicet sacerdotalis: tertiam dedit indulgentia Imperatorum, qua causas matrimoniales tum in conciliis definiri, tum in ecclesia iudicari permisit: quartam praestitit typus matrimonii, quod sub eius imagine coniunctio Christi cum ecclesia repraesentata sit: & quinta Pontificii propria quaerenda est in dogmate medii aevi de sacramentali matrimonii natura.

(a) Ge. Lud. Boehmeri Principia Iur. Canon. Lib. III. Sect. II. Tit. I.

§. II.

Nemo sane doctrinis S. Scripturae & religionis Christianae imbutus, vnquam in dubium vocabit, matrimonium esse institutum diuinum, & leges circa illud in sacris literis praescriptas, principaliter tenendas esse: sed inde nondum consequentiam perspicio, quod causae matrimoniales Iurisdictioni Clericorum subiectae sint. Aut enim ex verbis legum diuinarum demonstrandum est, ipsum Deum praecepisse, vt huiusmodi causae a personis ecclesiasticis deciderentur: aut affirmandum est, Principes & Iudices Politicos intelligentia legum diuinarum destitutos esse. Prius certe nemo ex verbis & sensu dictorum biblicorum euincet, posterius autem, licet temere assereretur, nunquam tamen sufficienter probabitur. Eiusmodi quidem rerum & legum diuinarum scientiam, quae omnibus numeris perfecta esset, ICtis attribuire nolumus, quemadmodum nec talem quisquam Theologorum sibi arrogabit, sed hoc sane cum B. Wilenbergio Celebb. quondam in Patria mea ICto nego (a), quod nequidem talis legum diuinarum notitia, lu-

*Examen v-
rionis pri-
mae.*

dicibus ciuilibus afferenda sit, quae ad decidendas causas matrimoniales requiritur. Non est, quod ad vltiorem huius rationis disquisitionem descendamus, cum sane innumera exempla sat superque testentur, ICros & iudices Politicos summa cum prudentia iurisdictionem in causis matrimonialibus exercere, easque secundum praecepta diuina & leges ciuiles exacte diiudicare. (conf. infra §. 17.). Nec obstat, quod Iureconsulti a tractatione matrimoniorum arcendi sint, quoniam doctrina sacrorum, ex quibus illa decidenda sunt, solis Theologis competit, quorum officium poscit, verbum diuinum docere, & praecepta Dei aliis explicare. Respondetur enim, quod hic quaestio moueatur de applicandis legibus diuinis ad negotia hominum ciuilia, non autem de docendo verbo aut dispensandis mysteriis diuinis. Prius omnino Iureconsultis demandatum est; vt pote qui pronunciare debent secundum id, quod iustum est, vnde etiam nomen Sacerdotum Iustitiae merentur (b): iustum vero esse nequit, nisi quod cum voluntate diuina consentit. Aequè lubrico argumento insurgunt illi, qui defendunt, matrimoniis inesse casus conscientiae, quare non nisi in foro Theologorum diiudicari queant: Vt taceam diuersimodam significationem, quam Canonistae vocabulo conscientiae tribuunt, & confusam explicationem quã Scholastici doctrinam de conscientia obscurarunt, de quibus B. Stryckius legi meretur (c); ipsa tantum definitio conscientiae consideranda erit, vt eruamus, num eadem soli Clericorum foro sit subiecta. Est autem conscientia nihil aliud quam argumentatio seu iudicium hominis de actionibus suis, secundum leges, aliasue normas obligatorias, institutum, vt earum bonitatem aut prauitatem inde colligat (d). Praesupponit conscientia 1) notitiam accuratam factorum propriorum, de quorum rectitudine
aut

aut prauitate indicat, & 2) scientiam normae, ad quam actiones nostrae conformandae sunt; quam quidem non tantum leges strictae sic dictae, verum etiam praecepta virtutum moralium, honestatis, amoris & pietatis constituunt. Ceterum mens nostra iudicat vel de factis vel de faciendis, vnde conscientia in consequentem & antecedentem dispescitur. In utroque casu si normam intelligimus, & actionis patratae vel patrandae naturam cognoscimus, mens sui ipsius Iudex est, & semetipsum vel condemnat vel absoluit, vnde Iuuenalis recte canit: (e)

*Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet Autori, prima haec est ultio, quod se
Indice nemo nocens absolvitur, improba quamuis
Gratia fallacis praetoris vicerit urnam.*

Quod si autem de regula actionum nostrarum non satis edocti sumus, oritur vacillatio mentis, numne forte contra leges peccaret, vel peccauit, & ratio illa, quae efficit, vt ambigas, honestumne sit an turpe factum, dicitur scrupulus conscientiae, quales etiam in matrimoniis dari euictum est. Eiusmodi autem dubitationes seu scrupulos conscientiae a solis Theologis diiudicari & tolli posse, ex dictis minime constat. Potius concedendum erit, istas dubitationes, quae ex legibus strictae dictis non rite intellectis nascuntur, ad officium ICI pertinere, cuius est, actiones hominum secundum leges examinare, adeoque etiam dubitantes docere, num causa matrimonialis cum praeceptis diuinis atque humanis consentiat nec ne. Quod si autem in scrupulis conscientiae non legum in proprio significato, sed potius regularum honestatis, pietatis, & ceterarum virtutum ratio habetur, vbi quaestio intercedit, de perfectiori, ei quod minus perfectum est, praefereudo: quis, quaeso, & hic vestabit, vel negare aude-

audebit, consilium Iudicis ciuilibus, adhibendum esse. Salua res est: quum pari modo in omnibus negotiis ciuilibus, contractibus & testamentis, casus conscientiae occurrere queant, circa quos tamen Aduocatus Clienti, vel Iudex Consulenti iusto modo cautelas praescribit, ne quid cum saucia conscientia suscipiant (f). Elegans hac de re exemplum nobis exhibet Vlpianus, qui quamuis Ethnicus esset, sequentem in modum philosophatur: (g)
 „Licet autem venditori vel effundere vinum, si diem ad metiendum praestituit, nec intra diem admensum est; effundere autem non statim poterit, prius quam testando denunciaret emtori, ut aut tollat vinum, aut sciat futurum, ut vinum effunderetur: *si tamen, cum possit effundere, non effundit, laudandus est potius.*„ Indicat enim Vlpianus, venditorem stricto iure potestatem habuisse, vinum effundendi, sed praecepta humanitatis & amicitiae contrarium poposcisse: & inde concludit, laudandum esse eum, qui cum alteri in foro externo impune nocere posset, tamen non nocet, quia conscientiam suam laedere cauet. Praeterea nec ybique consultum videtur, se Iudicem conscientiae profiteri, cum saepius in thesi permissum esse possit, quod in hypothesi non concedendum est. Pertinet huc tritum illud prouerbium: Duo cum faciunt idem, non est idem. Cum enim illi, qui consilia circa quaestiones conscientiae suppeditant, solummodo factum & normam conferre queant, de intentione, & interna mentis operatione alterius autem iudicare non possint, admodum intutum est; aliis, quid salua conscientia fieri possit, consulere. Solus Deus cor intuetur, & intentionem perscrutatur, quae quatenus a veritate aliena est, actum, quem alii approbant, in agente penitus reprobatur atque damnatur. (h) Verum haec saltem obiter annotasse sufficiat.

(a) D. Sam. Frid. Willenberg Selecta matrimonial. Cap. I. §. 116. (b)
 l. 1. ff. de Iust. & Iure. (c) Sam. Stryckii Dissert. de foro conscientiae

tiae c. 1. n. 65. seqq. (d) Buddeus in theol. morali, P. I. c. 1. Sect. 3. §. 1. & Christ. Wolffs vernünftige Gedanken von der Menschen Ehre und Lassen. cap. 2. §. 173. (e) Lucret. Satyr. XIII. (f) S. F. Willenberg Selecta Iur. matrim. cap. I. §. 118. (g) l. 1. §. 3. ff. de peric. & comm. rei vend. (h) I. H. Bochmeri Dissert. prael. de Iure circa libertatem conscientiae.

§. 12.

Matrimonium propter accedentem benedictionem sacerdotalem haud fieri causam ecclesiasticam, sufficienter apparebit, quam primum cognouerimus, illam esse laudabilem solemnitatem ab ecclesia christiana boni ordinis gratia introductam, quae tamen neque praeceptis diuinis iniuncta est; neque ad substantiam coniugiorum pertinet, sed recentiori demum tempore ciuilibus legibus partim approbata, partim ad formam legitimarum nuptiarum expressis verbis requisita est. Omnes fere gentes in hunc vsque diem agnouerunt, coniugium esse negotium satis arduum, quod neque temere contrahendum, neque sine certis solemnitatibus ineundum sit, quoniam ex tam arcta societate, maxima pars humanae felicitatis vel miseriae dependet. Insuper ipsa salus cuiusuis Reipublicae efflagitare visa est, vt sicuti in aliis leuioribus negotiis, ita in hoc actu altioris momenti, ordo quidam obseruetur, vnde familiarum integritas facta tectaue habeatur, liberi parentes suos agnoscant, a quibus in spem patriae & salutem publicam educentur, & ita magis publica, quam priuata auctoritate haec societas domestica constituatur. Pari modo coniuges probitate & virtute ducti, principiis religionis semper consentaneum iudicarunt, gratiam diuinam sibi per preces & sacrificia conciliare, vt omnia prospero successu in matrimoniali ista societate eueniant, quod vel ex ipsa Romanorum confarreatione, & sacris aliarum gentium ritibus, vel ex eo etiam colligitur, quod Ethnici pecu-

Examen variationis secundae.

E

lia-

liares Deos atque Deas, connubiali conuentioni praefecerint. Hinc nemini alienum videbitur, quod & primaetua ecclesia christiana, sacra quaedam solemnna per modum conuentionis constituerit, quae genuino cultui diuino accommodata erant, & inde ab Ethnicorum ritibus longe differebant. Interim non existimandum est, Christianos ita prorsus abhorruisse ab usu iuris Romani, vt solemnna ciuilia, quibus matrimonium declarari solebat, plane respuerint, id quod nequidem vt subditi & ciues facere potuerunt, sed admodum probabile est, eosdem ciuiles leges, quatenus salua fide asseruari poterant, firmiter tenuisse, & tales tantummodo preces ad Deum misisse, quales christianae religioni addictis conueniebant (a). Istiusmodi sine dubio fuit origo solemnntatis ecclesiasticae, quae hodie sub nomine benedictionis sacerdotalis seu hierologiae venit, a quibusdam uero parum accurate copula seu copulatio sacerdotalis uocatur. Neque enim ab initio ministri ecclesiae omnino ad hunc actum celebrandum requirebantur, sed integrae ecclesiae seu coetui datum erat, preces pro nouiter desponsatis ad Deum effundere, & illis fausta quaeruis apprecari: sicuti apud Seldenum (b) legitur: „Sub initio christianismi quotquot Iudaeos imitarentur, sacros ministros, vt nuptiis necessarios, non adhibuisse certum est.“ Neque Tertulliani testimonium (c) ex quo nonnulli euincere student, hodiernam benedictionem iam in confinio Sec. II & III. usitatam fuisse, quando ille ait, quod benedictio matrimonium obsignet, aliud quidquam probare potest, quam quod benedictio in quibuscunq; arduis negotiis, christianis usitatissima etiam in contrahendo matrimonio merito frequentata fuerit, praesertim cum ratio illorum temporum, me iudice, inter christianos postulauerit, ineunda matrimonia

nia apud ecclesiam profiteri, ne imprudentes pariter ac dubitantes contra leges diuinas sese coniungerent. Fuerunt autem ista denunciatio nuptiarum pariter ac benedictio, actus ecclesiae communes, vbi tamen presbyteri potius, quam alii, primario aduendi erant. Subsequentibus temporibus haec benedictio pro actu intermedio habita est, qui ex more ecclesiae & pia deuotione obseruabatur; nec primi Imperatores christiani necessarium iudicarunt, eiusmodi solemnitates legibus inculcare, quae potius proprio desponsatorum motui & pietati relinquendae, quam iure ciuili determinandae essent. Circa finem vero Sec. VIII. Carolus M. in capitularibus suis, & Sec. IX. etiam Leo Philosophus (d) in oriente publicis legibus sanciuerunt, benedictionem sacerdotalem iustis nuptiis accedere debere. Quo facto haec solemnitas paulatim nouam formam accepit, & insuper, interueniente missa, a sacerdotibus celebrari coepit, eoque res deducta est, vt ministris ecclesiae facultas tribueretur, desponsatas personas, ope sacri istius actus copulandi, vnde & vocabulum copulationis sacerdotalis enatum est. Amplius hoc loco historiam huius solemnitatis recensere, breuitatis studium non permisit: prouocamus autem ad supra citatum locum saepius laudati I. H. Boehmeri, qui asserta hic breuibus communicata, pro consueta soliditate pertractauit, & certissimis veterum scriptorum documentis comprobauit. Tantum inde in aprico est, quod solemnitas huius actus, quemadmodum hodie in usu est, incongrue ex praeceptis diuinis vel prima matrimonii institutione eliciatur, nec non falso ex canonibus Apostolorum deriuetur, vnde etiam matrimonium ab eodem, criterium causae ecclesiasticae, & religionem concernentis accipere nequit. Proinde benedictio sacerdotalis nobis est so-

lemnis declaratio consensus conjugalis coram ecclesia vel in praesentia testium publice facta, adhibitis a ministro ecclesiae piis precibus & votis (e). Vnicuique patet, eandem in iis locis, vbi publicis legibus constituta est, ad essentiam legitimi matrimonii requiri: sed nemo sane negabit, conjugium etiam sine eadem secundum ius diuinum naturale & positium subsistere posse, quoniam benedictio eius obiectum non immediate, sed mediate saltem afficit: quapropter apud Dedekennum legimus responsum Rostochiensium hac in re datum, cuius tantum potiora verba allegabo: „Also ist auch die benedictio sacerdotalis nur ein äußerliches von der Kirchen verordnetes Mittelbing, welches zur Essenz und Wesen der Ehe nicht gehöret, sondern darum bissig in viridi obseruantia wird gehalten, daß ein jeglicher, mit dem sie umgehen, wissen möge, diese beyde copulirte Personen seyn rechte Eheleute, die nach Gottes Ordnung und Willen in den Stand der heiligen Ehe getreten,“ (f). Quae sententia admissa sequitur, consensum matrimonialem, effectum legitimi matrimonii habere posse, si denuntiatio eius nec coram parrocho facta fuerit, nec copula sacerdotalis accesserit, v. g. si persona sit, quae supra leges humanas est, aut a tali dispensationem habeat, aut consuetudo loci permittat, vt matrimonia sine hierologia perficiantur, veluti in Belgio foederato, vbi coniunctionem matrimonialem nonnunquam apud magistratum loci declarasse sufficit (g). Videmus itaque, benedictionem sacerdotalem nihil impedire, quo minus causae matrimoniales coram iudice civili vententur, quum neque ex praecepto diuino, neque secundum essentiam suam, propter sacram hancce solemnitatem, naturam causarum ecclesiasticarum ingredientur.

(a) I. H. Bochmeri I. E. P. Lib. IV. Tit. III. §. 4. seqq. (b) Seldenus lib. II. de vxore Ebraea c. 28. (c) Ge. Lud. Bochner Princ. Jur. can.

can. Lib. III. Sect. II. Tit. I. §. 386. not. 6. (d) Non. Leon.
 LXXXIX. (e) I. M. Boehmer Inst. Iur. Can. Lib. IV. Tit. III. §. VII.
 (f) Dedekenn. in Consil. Theol. Part. 3. lib. 2. de Sponsal. Sect. I.
 n. 41. (g) Huberi Praelect. ad Institut. Tit. X. §. 1.

§. 13.

Vberrium sane iurisdictionis ecclesiasticae in matrimonialibus, fundamentum iecit inconsulta Principum indulgentia, cuius iam supra generaliter mentionem fecimus (§. 2. 3.). Ex statu nascentis ecclesiae christianaе facile intelligitur, eandem omni reipublicae tutamine destitutam, sibimet ipsi iure collegiali regulas & normas praescripisse (§. 1.), quae ordinem, pacem & tranquillitatem eius conferuarent: inde porro cognoscitur necessitas alicuius disciplinae in primitiua ecclesia, quae tum ex statu eius singulari, in quem christiani ob persecutio nes gentiliū coniecti erant, tum ex generali collegiorum natura deducenda est, quamque etiam in causis matrimonialibus ab initio statim adhibitam esse, perquam probabile videtur. Praeterea unicuique notum est, veteres romanorum leges matrimoniales non in omnibus coincidisse cum voluntate diuina reuelata, adeoque multa iure ciuili in connubiis incundis ac dissoluendis licita, vel legibus praecepta & approbata fuisse, quae secundum verbum diuinum examinata, consistere non poterant: inde iam inferimus, ecclesiam christianam ab initio statim sollicitam fuisse, prauitatem gentiliū morum euitare & iure fraternitatis eiusmodi normas respectu coniugiorum introducere, quae ad principia purioris doctrinae redirent, & omnem contra leges diuinas peccandi occasionem adimerent. Quoniam autem ecclesia, publico Imperatorum & Principum praesidio non gauderet, & ipsa in facinorosos, qui matrimonia contra verbum diuinum inibant vel dissoluebant, ciuilitate animad-

*Examen va-
 rionis ter-
 tiae.*

uertere non poterat, opus fuit poena quadam ecclesiastica, vi cuius illi, qui in conspectu ecclesiae fidem de fugiendis criminibus dederant, & postea tamen vitam suam flagitiis & delictis carnis immaculauerant, fraternitatis communione interdicebantur, & ab vnjone ecclesiae excludebantur (a). His rite intellectis, illico liquet, vnde iam antiquissimis temporibus, futura matrimonia coram ecclesia denuncianda fuerint: nouiter enim desponsati saepius errarunt atque dubitauerunt, num conjugalis eorum coniunctio iuri diuino consentanea foret nec ne: Ex legibus ethnicorum ciuilibus eorum scrupuli solui atque tolli non poterant, necessario itaque adenda erat ecclesia, & in illa primario presbyteri, legum diuinarum scientia imbuti consulebantur; num ineunda connubia iudicio diuino approbanda vel reprobanda essent. Praeterea nuptiis accefferunt solemnia quaedam sacra, inter Christianos priuato pacto recepta, vel moribus passim constituta, quae boni ordinis gratia, & vt omnia decenter fierent, sub poena indignationis ecclesiasticae non temere omittenda erant. Sicuti enim gentiles pariter atque iudaei non sine auspiciis & sacris initianda esse matrimonia crediderunt, ita etiam inter christianos, pietatis & honestatis ductu, ritus quidam ecclesiastici, ceu publica testimonia matrimonii in Domino, prout apostolus docuerat celebrandi, in coetu ecclesiae ordinati sunt (§. 12.), vnde iam Tertullianus docuit: „Ideo non nubamus ethnicis, ne nos ad idololatriam vsque deducant, a qua apud illos ineptiae incipiunt. Habes legem a patriarchis quidem, habes apostolum in Domino nubere iubentem.“ Ex omnibus autem istis assertis nullatenus consequitur, causas matrimoniales, naturam ecclesiasticorum negotiorum induisse: manebant potius causae ciuiles, & nemo sane probabit, leges in
repu-

republica circa matrimonia sancitas a primis Christianis
 neglectas fuisse, in quantum cum istis dogmatibus non
 pugnant, quae iubente vera religione in actionibus
 mere civilibus, stricte observari debeant. **Id** tamen
 omni iure concedendum est, disciplinam ecclesiasticam
 in causis matrimonialibus, ad iura collegialia primae ec-
 clesiae pertinuisse, & in eo etiam consentimus cum Dr.
 Preuschen (b), qui de hac materia sequentem in modum
 scribit: „Die Ehe an und für sich selbst ist eine Gesellschaft,
 welche mit beyderseitiger Einwilligung zur Erzeugung der Kin-
 der eingegangen wird: Sie stehet also, wenn wir nach der
 Vernunft urtheilen, wie andere Gesellschaften unter der Repu-
 blick — Indessen können doch 1) die Mitglieder der Kirche
 unter sich bedingen, daß kein Glied, bey Vermeidung der Aus-
 schließung, Gott mit Schandthaten beleidigen solle. Hieraus
 fließet insbesondre, daß die Kirche das Recht habe, die Hure-
 rey und Ehebruch so wie andere Laster für sich zu ziehen, solche
 mit Vorbehalte der weltlichen Strafe, nach den Gründen ihrer
 Religion zu beurtheilen, und auf die der Religion, und ihrer
 Vereinigung gemäße Weise zu ahnden. Hiernächst hat die
 Kirche 2) das Recht, in Ansehung derjenigen Dinge, welche
 der Beförderung des Gottesdienstes und der Gottseligkeit
 hinderlich oder vortheilhaft seyn können, gewisse Ordnungen
 zu machen, wodurch die Ausübung der Gewissens-Pflichten
 erleichtert wird, wenn sie nur hiebey nichts beginnet, das der
 Sicherheit des Staates, und der Hoheit des Regenten nach-
 theilig ist. Dies muß ihr demnach auch in Ansehung der Ehe
 gebühren. — Daher wird sich niemand begeben lassen, daß
 die Christen dadurch Eingriffe in die Hoheits-Rechte der Kay-
 ser gethan haben, wenn sie die Hurer, Ehebrecher und Bluts-
 schänder von ihrer Gesellschaft ausgeschlossen haben. Die Kay-
 ser mochten eine weltliche Strafe nach ihrem Gefallen bestim-
 men. **Die** könnte die Kirche nicht aufheben. **Sie** ahndeten
 weiter

weiter nichts als dieses, daß ein Mitglied wider das Versprechen und den Endzweck der Gesellschaft gethan hatte, auf eine ihrer Gesellschaft gemäße Weise., Quilibet sane perspicit, cognitionem illam in causis matrimonialibus ecclesiae eatenus competiisse, quatenus metuendum erat, ne quid contra leges diuinas susciperetur, quas quidem ius ciuile ethnicorum non curabat, sed eo magis iura ecclesiae conuentionalia vniciuique membro tenendas iniungebant, quoniam christiani satis animaduenterunt, essentialia iustarum nuptiarum secundum voluntatem diuinam praecipue determinanda esse. Quum tamen exercitium religionis christianae nondum in republica receptum & ciuilitate approbatum esset, manifestum est, eiusmodi matrimonia, quae quidem contra leges christianorum inita, sed iuri ciuili tamen congrua erant, ab ecclesia dirimi non potuisse, sed potius pro validis habita fuisse, quam christianis disciplina ecclesiastica ratione membrorum suorum salua maneret. Longe aliam formam acceperunt statuta ciuilia in matrimonialibus, postquam omne religionis christianae exercitium per totius reipublicae territorium publice datum est. Quamprimum enim Constantinus M. sacra christianorum cum gente sua amplexus esset, fieri non potuit, quin etiam leges ciuiles ad normam iuris diuini reuelati examinarentur, inter quas non vltimum locum tenuere leges matrimoniales, prout testantur sancita Constantini Magni, qui temerariam coniugum ab inuicem diuertendi licentiam, quantum fieri potuit, restringere conatus est (c), adeoque adparet, matrimonia, legibus publicis secundum ius diuinum adornatis, natura sua constanter iurisdictioni ciuili subiecta mansisse. Nec vltius necessaria fuit cognitio ecclesiae circa res connubiales, postquam metus ille Deum flagitiis offendendi penitus cessabat, & ipsum reipublicae

blicae praesidium eo tendebat, ut delinquentes poenis affecti ab illicitis matrimoniis prohiberentur. Videmus igitur, cognitionem & diiudicationem ecclesiae in causis matrimonialibus eo ipso expirasse, cum iam nouus huiusmodi nexus ecclesiae christianae cum republica ciuili stabilitus esset; nec mihi cum supra laudato Auctore persuadere queo, quod tacitus quidam ecclesiae consensus requisitus sit, ut Principes & Imperatores facultatem obtinuerint, leges matrimoniales iuri diuino conuenienter definiendi, & iurisdictionem in causis connubiorum exercendi. Hanc enim sententiam ex sequentibus eius verbis colligendam esse arbitror: ubi passim ita scribit (d): „Das Recht in Ehesachen, und andern Ehesachen zu erkennen, und deshalb Verordnungen zu machen, ist bey den Christen ein Collegialrecht gewesen,“ postea: „Nun war also niemand übrig, welcher den Kaysern die Ausübung der osterwehnten Collegialrechte bestritte. Sie wurden darinn erkannt, und solange sie bey der allgemeinen Kirche hielten, wurden ihre Verordnungen in Kirchen- und Ehesachen angenommen,“ & denique pergit: „Woraus man zugleich siehet, daß die Kirche, und die christlichen Kayser im Namen, und aus dem Auftrage derselben, ohne auf ein Sacrament der Ehe zu sehen, in Ehesachen erkannt haben. Launojus und andre mögen demnach immer Exempel von verschiedenen Verordnungen unzähliger Kayser, Könige, und anderer Regenten in Ehesachen zusammen suchen, und solche von Constantinen dem Großen, bis auf die gegenwärtige Zeiten erzählen, so bewegen mich doch alle diese Exempel nicht, daß ich das Recht in christlichen Ehesachen als ein Majestätsrecht ansehe. Hergegen billige ich die Lehre derjenigen catholischen Schriftsteller, welche der christlichen Kirche ein Recht in Ehesachen zu erkennen, einräumen, wo sie solches nicht den Regenten überlassen habe.“ Nescio autem, quomodo causae matrimoniales, quatenus non a libera Christianorum determinatione, sed ab ipso praescripto

diuino dependent, ad iura ecclesiae collegialia, referri queant. Adest hic suprema lex diuina, quae, agnita demum eius veritate, vnum quemque statim obligat, nec vltiori hominum conuentione indiget; quid igitur opus est peculiari translatione, vi cuius omne ius circa matrimonialia in Principes deuolutum esse fingitur? Princeps enim non pro lubitu nouas leges condit, sed ipsum Ius diuinum suis fancitis denuo proponit, & leges ciuiles cum eodem coniunctas ac secundum eius normam correctas, ceu fundamentum causas matrimoniales decidendi constituit. Loquimur autem hoc loco de iis, quae ad essentiam iustarum nuptiarum, tam ex iure diuino quam ciuili requiruntur: cetera enim, quae solemnitates cum ciuiles tum ecclesiasticas respiciunt, & magis boni ordinis ac vtilitatis, quam necessitatis causa adhibentur, naturam matrimoniorum non variare, manifestum est (§ 12). Interim ex historia satis edocti sumus, causas matrimoniales ex indulgentia & permisso Imperatorum partim in conciliis definitas, partim in ecclesia iudicatas esse. Tametsi enim Imperatores christiani primis temporibus, variis constitutiones matrimonia respicientes fanciuerint, quemadmodum de Constantino M. (e), Honorio, Theodosio (f), Valentiniano III. (g), Anastasio (h), Iustiniano (i), Iustino (k), & Leone (l) aliisque notum est (§ 7.), exempla tamen probant, eosdem de causis matrimonialibus vt plurimum in Conciliis ac Synodis cognoscere consueuisse: inde postea formulae natae sunt: „Piissimus Imperator & sancta synodus dixerunt; gloriosissimi iudices & sancta synodus dixerunt &c.“ Sic a. 416. in synodo Africana Mileuitana secunda, de matrimonio separatorum coniugum decretum conditum est, & a. 451. in Concilio Chalcedonensi, Sophronium contra Dioscorum, de raptu vxoris conquestum esse, Launoius testatur (m) Successu temporis, in primis autem Sequlo XII. Imperatores omnem cognitionem & iurisdictionem in causis matrimonialibus amiserunt, quoniam

niam eadem sub variis titulis, ad forum ecclesiasticum penitus deductae sunt. Quo iure autem hoc factum sit, ex iis assertis, quae in hoc Spho in medium prolata sunt, facile colligendum erit.

- (a) I. H. Boehmer I. E. P. Lib. V. T. XXXIX. §. VI. seqq. (b) George Ernst Ludw. Preuschen Tractat, daß ein catholischer Landesherr in Eber- und andern Kirchensachen seiner Evangelischen Unterthanen zu erkennen nicht befugt sey, Gießen 1753. 3tes Hauptst. §. 52. (c) I. I. C. Th. de repudiis. (d) Preuschen lib. sup. all. V. §. 83. V. §. 87. 92. 93. (e) I. I. C. Th. de repudiis. (f) I. 2. C. Th. de repudiis. (g) I. 8. C. de repudiis & iud. de mor. subl. (h) I. 9. C. eod. (i) I. 10. C. de repudiis & iud. de mor. subl. (k) Nou. CXL. (l) Nou. Leon. LXXXIX. CXI. CXII. (m) G. E. L. Preuschen lib. cit. V. §. 91.

§ 14.

Quarta ratio, res matrimoniales ad causas ecclesiasticas referendi, elicitur ex typo matrimonii, quod sub eius imagine coniunctio Christi cum ecclesia repraesentata fit, ^{Examen rationis quar-} vnde Lancellottus secundum principia suae religionis scripsit: Et merito inter alia sacramenta matrimonium quoque annumerari meruit, cum ceteris loci, temporis, amplitudinis & mysterii ratione etiam praecellat. Si quidem ab orbis primordio in paradiso a Deo ipso institutum est, ut esset omnibus etiam infidelibus commune, quod in aliis minime contingit. His illud quoque accedit, quod animorum consensus & corporum commixtio, quae in matrimonio intercedunt: primum quidem charitatem significat, quae consistit, in spiritu inter Deum & iustam animam, vel ecclesiam, alterum vero sacrosanctum coniugium designat, quod inter Christum & ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum (a). Pari modo nonnulli inter protestantes prouocant ad sacrum mysterium vnionis Christi & fidelium, innitendo doctrinae Apostolorum, qui illud saepius cum coniunctione coniugali inter marem & foeminam compararunt (b). Huc collineare videntur sententiae Carpouii

zouii & Finckelthuffi, qui causas matrimoniales, omnino spirituales & ecclesiasticas esse contendunt, cum ad institutionem & mysterium ecclesiae iis interueniens respiciendum sit, vbi Deus expresse coniuges copulare dicitur, sicuti Christus cum ecclesia coniunctus est (c). Aegre autem cohaerent eorundem argumentationes, qui a re signata ceu mysterio sacro & nobis abscondito, ad signum eius concludunt, & sanctitatem, quae ipsi rei inest, quoque in imagine eiusdem deprehendi affirmant. Quodsi ad spiritualitatem rei iam sufficeret, vt aliquoties ob similitudinem quandam, pro signo mysterii diuini in S. Scriptura adhiberetur, plures sane causae ad vitam ciuilem hactenus relatae, & in iudiciis politicis ventilatae, ad forum ecclesiasticum transmittendae essent. Agricultura & res pecuaria sane primum locum inter causas spirituales tenerent, id quod tamen nemo vnquam asseruit. Quam frequens in scriptura est imago pastoris & ouium, & quam dulcis est eius accommodatio ad Christum & ecclesiam, vti B. Chemnitius ait (d). Interim res pecuaria manet probum & innocens quidem, sed plane oeconomicum vitae genus, cuius causae nec ad ecclesiam pertinent, nec ab ecclesiastico iudice dirimuntur. Nullo autem magis congruo inter homines exemplo, arctissima communio inter Christum & fideles fere illustrari potest, quam quod ex fide & tenerrimo amore depromitur, qui merito & ex natura societatis connubialis, inter vtrumque coniugem intercedere debet, quapropter simile istud in S. litteris saepius repetitum animaduertimus. Praeterea ipse apostolus l. c. mentem suam clarius exponit, dum ipse in sequentibus asserit, sibi non sermonem esse de humana coniunctione maris & feminae, sed de magno mysterio inter Christum & ecclesiam. Inde satis apparet, eorum sententiam ex hoc argumento nullum robur accipere, qui strenue defendunt, causas matrimoniales, ob characterem spiritualitatis, ad iudicia ecclesiastica transferendas esse.

- (a) I. P. Lancellotti Inst. Iur. Can. Lib. II. T. IX. §. 2. (b) I Cor. VI. 14. 15. 16. Ephes. V. 29. seqq. (c) Ben. Carpzovii Jurispr. Consistor. Lib. II. Tit. I. Def. I. Sigism. Finckelthaus de iure patronatus cap. 4. (d) Thom. ad Lancell. Lib. II. Tit. IX. n. 259.

§. 15.

Ultimum argumentum constituit recens pontificiorum *Ratio quinta.*
 dogma de sacramento matrimonii (§. 9) quod ex Augustini interpretum & scholasticorum opinionibus enatum est (a). Quia autem satis cognitum & perspectum est, quod protestantes illud non commune habeant cum pontificiis, sed in vnum omnes profiteantur, genuinas veri sacramenti notas coniugio non inesse, hinc ulterior eius disquisitio nec ad scopum praesentis dissertationis pertinet, sed per se clarum euadit, causas matrimoniales, ob plenarium huius rationis defectum, nullam spiritualitatis notam inde obtinere posse, quapropter Ill. Boehmerus saepius demonstrat, iuris canonici conclusiones in foris catholicis, congruentius, quam in nostris cohaerere consistoriis, cum romanae ecclesiae Doctores ex principiis, fundamenti loco positis, sua trahant argumenta, iusta connexionione, protestantes vero eadem principia ut plurimum reprobent, & nihilominus in conclusionibus inde de promptis subsistant. Neque ipsi pontificii in definienda natura huius sacramenti satis conueniunt, negant alii Sacramentum esse, nisi solennia sacra intercedant, sacerque adsit minister, alii asserunt ipsos coniuges esse, qui sacramentum efficiunt, non ministrum sacrum, neque actum eius verbaue esse ex necessitate sacramenti, sed tantum praecepti, materiamque simul & formam, & causam efficientem esse in ipsis, qui contrahunt, qua contrahunt (b). Quidam plane coniugio sacramentalem dignitatem denegare videntur: sic notatu digna est sententia supra laudati Archiepiscopi (c) cuius propria verba circa hanc materiam allegabo, ne plus vel minus scripsisse vitium incurram: „Sacramentum tamen inquit, in matrimonio ego nullum verum & proprie dictum

tum possum inuenire. Ex quinque enim illis, quae Sacramenta vocantur, ultra Baptismum & Eucharistiam, nullum est, quod pauciores in se habeat veri Sacramenti proprietates, quam matrimonium. Ad summam enim, si quid sacri in se habet, habet duntaxat similitudinem quandam, quam etiam ex diuina, si vis, institutione repraesentat, diuinæ illius & magnæ coniunctionis Verbi cum natura humana, & Christi cum ecclesia, vt Paulus manifeste innuit, sed si hinc matrimonium sit verum & proprie dictum sacramentum, verum & proprie dictum sacramentum erunt pariter arcus iridis in nubibus Genes. 9, 3. sagena missa in mare, Math. 13, 47. granum synapis, Math. 13, 31. fermentum in farina, ibid. 33. &c. Haec enim omnia sunt signa & mysteria quaedam ac similitudines, quibus multae res spirituales non minus, quam per matrimonium, Christi incarnatio, & coniunctio cum ecclesia repraesentantur. Conditiones porro veri sacramenti decem posuimus, harum praecipuas quasque matrimonio deesse est certissimum. Vtrum vero inter protestantes adhuc quaedam conclusiones ex hypothese de sacramento matrimonii supersint, Doctorum opiniones inter se non conueniunt, B. Thomafius (d), Stryckius (e) in speciali tractatu, B. Boehmerus (f), & alii, copiam eiusmodi reliquiarum multis exemplis ostenderunt: dissentiunt autem Doct. Gribnerus (g), & cum eodem Celeb. Boehmerus Fil. (h), qui defendunt, istarum conclusionum rationes aliunde, quam ex sacramenti indole intelligendas esse. Interim res mea non est, vtriusque partis rationes hoc loco indagare: posito vel vno vel altero, assertum meum firmo tamen stabit talo, quod matrimonium inde ecclesiasticum negotium fieri nequeat. Superessent forte plures & leuiores quaedam causae, vnde res connubiales clericorum iudicio necessario subiectae dicuntur: quum vero iam potiores, fictae huic sententiae nihil valoris adducant, multo minus reliquiarum rationem habendam esse arbitramur.

(a) G, L,

- (a) G. L. Boehmer Princ. Iur. Can. Lib. III. Sect. II. Tit. I. (b) Thom. ad Lancell. l. c. n. 279. (c) M. A. de Dominis de Republ. eccl. lib. 5. Cap. XI. n. 24. (d) Thom. ad Lancell. Tit. de Sacram. matrim. (e) Joh. Sam. Stryckii Dissert. de reliquiis sacramenti in matrimonial. (f) I. H. Boehmer ad Schilneri Instit. Iur. Can. qui dodecadem huiusmodi reliquiarum exhibet. (g) Mich. Henr. Gribner Dissert. de his, quae ex iure protestantium matrimoniali ad reliquias sacramenti perperam referuntur. (h) G. L. Boehmer Princip. Iur. Can. Lib. III. S. II. T. I.

§. 16.

Haec itaque sufficiant ad corroborandam sententiam nostram de iurisdictione in causis matrimonialibus, inprimis *Causae matrimoniales* si eandem secundum principia protestantium examinaveris, *non necessitatis, sed utilitatis* Infirmis fulcris superstructa sunt argumenta eorum, qui pro necessitate iudicii ecclesiastici in controuersis matrimoniorum dirimendis constanter & cum feruore pugnant: nihil *gratia coram Consistoriis dirimuntur.* quoque dicunt, qui ex eo, quod nostra consistoria in locum iudiciorum ecclesiasticorum, quibus officiales apud pontificios praesunt, surrogata sint (a), iurisdictionem ecclesiasticam in matrimonialibus euincere student, cum illorum principia a nostratibus prorsus diuersa esse deprehendantur. Neminem quidem historiae ecclesiasticae peritum fugit, quaestiones matrimoniales statim sub primitiis reformationis, primum decisioni parochorum relictas, & non multo post ad iudicia ecclesiastica, quae connubiorum intuitu fere principaliter erecta sunt, transmissas esse, sed ex historia etiam abunde probari potest, causas matrimoniales, lites potius & controuersias componendi causa, quam efflagitante connubiorum indole, Sacerdotum cognitioni relictas esse. Notari meretur responsio B. Lutheri, quam Alberto Comiti Mansfeldensi dedit: ab hoc enim de casu matrimoniali consultus non sine indignatione respondit: se eiusmodi quaestionibus, cum fere semper ICrī aliter quam Theologi pronunciauerint, ita esse vexatum & defatigatum, vt causas matrimoniales plane a se abiecerit, & in malam rem ire iusserit,

ferit, nondum etiam ipsum a Iurisconsultis impetrare potuisse, ut matrimonium & liberos suos pro legitimis declarent, adeo Paparum constitutiones illos adhuc adhaerere. Principum itaque esse, ut leges ferant, theologos nihil posse (b). Plura eiusmodi exempla sufficienter docent, perpetuas tum temporis dissensiones inter Ictos & Theologos circa materiam coniugiorum intercessisse. Hinc cum a. 1545 ad iussum Electoris Saxoniae, formula reformationis & gubernationis ecclesiae a theologis Wittebergenfibus componeretur, sub articulo eius IVto de iudiciis ecclesiasticis, praecipue mentio fit causarum matrimonialium, sequentibus verbis: „Ac primum sciunt omnes, negotia coniugii magnam partem esse vitae humanae, & incidere tam multas & tam varias controversias, ut ad cognitiones negotiorum coniugium sit opus peculiari iudicio seu peculiari decuria iudicum — Ideo necesse est in locis certis, opportunis, praecipuis, ad quae accedere homines sine magnis sumptibus possunt; in dioecesibus consistoria constituere, quae cognoscant & diiudicent controversias matrimoniales“ (c). Admodum probabile est, Lutherum aliosue theologos bene agnouisse, matrimonia ad forum civile maxime pertinere, quia autem sententia pontificiorum de duplici iudicio seculari & ecclesiastico, adhuc a plerisque supponebatur, grauisimis causis id suadentibus, reliquorum arbitrio cessasse videntur, inprimis, cum theologi protestantes, non vnam tantum partem ecclesiae, scilicet Episcopos, sed ex reliquis etiam populi gradibus, idoneos iudices eligendos esse iudicassent: quapropter theologi Hassiaci in monitis ad formulam reformationis scripserunt: circa iurisdictionem ecclesiasticam in causis matrimonialibus prospiciendum esse, ut viri pii in consistoriis constituantur, qui Deum respiciant, & secundum verbum Dei & Euangelium in omnibus causis decident: ut enim solis clericis ea potestas deferatur, rem maximi periculi esse (d). Hinc passim erecta sunt consistoria

storia eademque theologis & laicis simul demandata, quo
 verosimiliter Iureconsulti, qui praeter Theologos assi-
 dere iubebantur, Ius Canonicum, quo imbuti erant,
 cum permultis eius conclusionibus deduxerunt, quas
 tractu temporis omnium fere locorum praxis assumpsit &
 confirmavit (e). Hodie tamen eiuſi iuris, & tam the-
 oretice probatum, quam ex ipsa praxi notissimum est,
 causas matrimoniales non ex aliqua ratione necessitatis
 consistoriis nostris subiectas esse, sed id potius a volun-
 tate Principis in republica dependere, cuiam iudicio
 earum discussionem demandare satius ducat; nos inter-
 rim a sententia eorum minime recedimus, qui asserunt,
 decisionem contouersiarum coniugalium aliquando non
 sine grauissimis iustissimisque causis consistorio relictas
 esse, adeoque non necessitatis, sed vtilitatis rationem ha-
 beri, vt Theologi ac Icti sibi mutuo consilio succur-
 rant, & vterque iuris matrimonialis peritus coniunctim
 operam nauet, ne quid in praeiudicium veritatis, & iu-
 ris diuini admittatur, aut temere, quod non orthodo-
 xum sit, statuatur, imo vel maxime, ne reliquiae sacra-
 menti, quas ecclesia nostra dudum repudiavit, per er-
 rorem matrimoniis immisceantur (f). Illi autem ex meo
 quoque arbitrio protestantes iniuriose accusant, qui pu-
 tant, easdem causas, ob quas olim clerus romanus ma-
 trimonialia sibi vindicauit, nostros etiam Principes com-
 mouisse, Sacerdotibus ex parte contouersiarum conu-
 bialium cognitionem ac decisionem committere. Ego
 quidem, cur ab huiusmodi foris contentiosis arceri de-
 beant, non video, nec tamen, quare necessarii sint, per-
 spicio. Libera itaque circa hanc rem manet Principum
 & Superiorum voluntas, & ab eorum arbitrio, ad salu-
 tem reipublicae potissimum accommodato, dependent
 iudicia & iurisdictiones in causis matrimonialibus.

G

(a) I.

- (a) I. H. Boehmer I. E. P. Lib. I. Tit. XXVII. §. 11. (b) Viti Lud. a Seckendorff. Histor. Lutheranismi Lib. III. Sect. XV. §. 49. Eadem Lutheri sententia confirmatur verbis supra allegatis §. 8. (c) Idem Lib. III. Sect. XXXI. §. 119. (d) Idem eod. Sec. XXXI §. 120. (e) I. H. Boehmer I. E. P. L. I. Tit. XXVIII. §. XIII. (f) Gribneri Dissert. supra all. §. 14.

§. 17.

Exempla Iudiciorum ciuilium, quibus matrimonialia subiecta sunt.

Interim nec rariora in terris Protestantium extant exempla, quae controuersias matrimoniales a iudiciis politicis & mere ciuilibus diiudicari ac sopiri, testantur. Principalem inter eadem locum tenet ipsa Prussia, in qua versamur: viget hic Regiomonti Iudicium ecclesiasticum seu Consistorium, quod vel in eo notatu dignum est, quod eius Praefes in hunc vsque diem titulo Officialis insigniatur, sicuti alias apud Romano Catholicos fieri consuevit. Huic consistorio vsque ad annum 1751. etiam causae matrimoniales subiectae fuerunt, sed circa finem eiusdem anni ad iudicia ciuilia contentiosa, inprimis Iudicium Aulicum translatae sunt, iussu Serenissimi Regis sequentem in modum expressis verbis declarato. „Wir haben dem Departement des Hof-Gerichts auch die geistliche Prozesse, welche bishero bey denen Consistoriis geführet worden, belegen wollen, weil die Vielheit der Lustitz-Collegiorum nichts, als lauter Confusiones, und Iurisdictionen-Streitigkeiten mit sich führet. Diesem zufolge sollen alle Ehe- und Matrimonial-Sachen, wann der Kläger eine eximirte Person ist, an das Hof-Gericht verwiesen werden, die nicht eximirte aber sollen die Wahl haben, ob sie bey dem Hof-Gericht, oder denen Aemter Collegiis die Klagen anstellen wollen.“ (a). In ipsa Saxonia, quae prima fere post reformationem Consistoria constituit (§. 16.), appellatione tamen interposita, causae quaecunque ecclesiasticae ad regimen & summum prouocationum Senatuum deuoluuntur, qui iudicii ecclesiastici aut mixti rationem non habet.

bet. Nulli in eo Theologi assident, & causae tamen quaecunque a viris diuini & humani iuris peritissimis fideliter expediuntur (b). Non omnis Consistoriorum natura inest Iudicio Anglicano, in quo causae ad forum conscientiae pertinentes, quo matrimoniales referri solent, ventilantur, quod Curia Christianitatis appellatur: in Heluetia res connubiales agitantur in iudiciis, quae sub nomine der *Ehgerichte*, *Ehegerichte* veniunt; difficiles tamen controuersiae s. quae aliquid ex politicis admixtum habent, Senatui seculari referuntur (c): Sic etiam Erfurti peculiare iudicium das *Ehegerichte* vocatumprehenditur. In Palatinatu & Hassia, matrimonialia apud iudicem ciuitem pertractantur, & in nonnullis ciuitatibus imperialibus, v. g. Norimbergae, Hamburgi &c. res & controuersiae matrimoniales a senatu ciuico expediuntur ac sopiuntur (d), quod & ex parte Gedani in usu esse, ex sequentibus plenius constabit.

- (a) Umständliche Nachricht wie künfftig die Iustiz Collegia in Preussen besesset werden sollen. de dato Berlin 16. Septemb. 1751. (b) Grineri Diss. supra cit. §. 14. (c) Th. Reinkingk de regim. sec. & eccles. L. 3. Cl. I. c. 10. n. 8. 9. (d) Iac. Fr. Ludouici vsus practicus distinctionum iudicarum Lib. V. Tit. I. Diss. II.

§. 18.

Generalibus hisce de iurisdictione circa matrimonialia praemissis, & ex scriptis consummatis simorum acui nostri Iurisconsultorum, comprobatis atque corroboratis, secundum rubrum praesentis dissertationis, praxin Ciuitatis Gedanensis, historice magis, quam iuridice subiungere apud animum constituimus. Ex quo Gedani sacra pontificia deseruit, & in libero religionis exercitio secundum Augustanam confessionem, per Priuilegium religionis (a) a D. Stephano, Poloniarum Rege clementissime concessum, firmatum est, Ius patronatus

*Distinctio
iurisdictionis
matrimonialis
in foro
Gedanensi.*

pariter ac Iura episcopalia Ciuitati nostrae asserta sunt, quatenus scilicet iurisdictio Episcoporum Romano-Catholicorum cum articulis Augustanae Confessionis & libero eiusdem exercitio consistere nequit: omnia fere ad exemplum ciuitatum Imperio Romano-Germanico immediate subiectarum apud nos adornata sunt (b), in his enim uti in reliquis statibus imperii euangelicis, pace religiosa & per transactionem Passauiensem de a. 1552. iurisdictio ecclesiastica catholica cum omnibus suis speciebus suspensa est, id quod postea Pax Westphalica confirmauit, omniaque iura episcopalia, vigore superioritatis territorialis ipsis plenissime asserta sunt, & hodiernum ita exercentur (c). Vtraque tamen iura, patronatus scilicet & episcopalia, apud nos communiter promiscue sumuntur, & coniunctim sub nomine Iuris Patronatus venire solent, cuius combinationis ratio non nisi in reliquis Iurisdictionis Episcopalis Pontificiae, in Ciuitate nostra reperiundis, quaerenda est. Ex antecedentibus enim liquet, doctrinam iuris canonici vniuersam fere de materia coniugiorum apud Protestantes esse receptam (§. 5.), hinc non raro in illis Germaniae locis, quorum incolae diuersam religionem profitentur, ac ubi Consistoria Catholica stabilita sunt, Episcopi sibi iurisdictiorem in causis protestantium matrimonialibus vindicare conati sunt, vnde Status Euangelici a. 1645. grauer conquesti sunt: „Iurisditionem ecclesiasticam & papalia iura, Augustana pace suspensa, in vsum reuocata, proceribus euangelicis subditos in connubiorum similibusque causis ad ecclesiastica Catholicorum tribunalia tractos esse &c.,, Ad has querelas Romano-Catholici sub initio a. 1646. responderunt: „Iurisditionem ecclesiasticam in causis tantum ipsum numinis cultum spectantibus, suspensam, etiam in reliquis ad se traxisse Euangelicos
 „(d),,“

„(d)„, adeoque iurisdictionem in controuersis protestantium connubialibus, multoties a pontificiis in Germania sibi assertam animaduertimus. His praelibatis, haud difficile ad intelligendum erit, vnde & nostris temporibus iurisdictione quaedam catholica in Ciuitate Gedanensi superfit. Simili enim modo Episcopi nostri affirmarunt, leges Iuris Canonici circa matrimonialia, in foris Protestantium firmiter seruari, adeoque iurisdictionem episcopalem in iisdem haecenus exercitam, principiis Augustanae Confessionis non obsistere, sed salua eorum obseruancia, in posterum fundatam manere, exceptis leuibus quibusdam mutationibus, quae secundum normam religionis Euangelicae diiudicandae & in causis incolarum protestantium, Ciuitatis iuri solum relinquendae essent (e). Interim tamen maiores nostri, Episcopo hanc iurisdictionem non nisi in personas & incolas Ciuitatis, sacra pontificiorum profitentes concedere voluerunt, quorum autem vestigiis posterior aetas non incescit, sed pedetentim auctoritas Consistorii Episcopalis ad omnes personas etiam euangelicae religioni addictas, & in Ciuitate degentes extensa est, quo facto Gedanum multa de iure suo ac optime stabilita obseruantia amisit (f). Tali ratione comparatum est Iudicium Episcopale, quod in hunc vsque diem agnoscimus; quilibet inde intelligit, quare Superiores Ciuitatis, denominatione iurium episcopaliū non vtantur, sed solo iuris patronatus nomine, iura ipsis in sacris competentia insigniant, ne scilicet Episcopus in malam partem acciperet, si forte talem sibi iurisdictionem arrogare viderentur, quae Ciuitatibus in Germania competit, vbi vniuersa iura episcopalia Magistratui Euangelico concessa sunt. Nemo autem erro-
neum inde confectarium deducet, religionem romano-catholicam apud nos praeualere & dominantem esse,

cum potius exacta iurium aequalitas inter vtriusque religionis confortes feruetur. Quod ad ipsam iurisdictionem circa matrimonialia attinet, ante omnia praemittenda est differentia huius iurisdictionis, ratione causarum matrimonialium, quae intra ciuitatem & quae extra moenia eiusdem decidendae occurrunt. Intra moenia ciuitatis, iurisdictione competit Venerab. Officiali, Episcopi Cuiuiensis & Pomeraniae, in prima instantia: a personis autem extra muros Ciuitatis habitantibus, forum Magnif. Senatus necessario agnoscendum est.

- (a) Hoc privilegium Mariaeburgi d. 19 Decembr. 1577. datum. extat in Reinh. Caricke Chronico Gedanensi, & a Diuis R. Stephani Successoribus in hunc vsque diem confirmatum est. (b) B. Io. Ern. von der Linde, meritissimi olim Praeconulis Gedanensis; Ius publicum Gedanense Part. II. §. 8. Ms:pt. (c) Io. Steph. Puetter Elementa Iuris Publ. Germ. Lib. VI. Sect. I. Bened. Carpzov. Iurisprud. Confist. Lib. I. Def. 1. 2. 3. (d) Tob. Pfanner histor. pacis Westphalicae lib. II. §. 70. G. E. P. Preusschen tract. supra all. Cap. XI. (e) Pauli Pfascii Praxis Episc. p. 2. cap. 4. art. 4. n. 1. (f) B. v. d. Lindel. c. §. 7.

§. 19.

Causae matrimoniales in Ciuitate subsunt iurisdictioni Officialis.

Episcopus Cuiuiensis primis temporibus a Cruxico Cuiuiaie oppido, & olim Episcoporum sede, Cruxicensis appellabatur; deinde postquam sedes episcopalis Vladislauiam, aliud illius regionis oppidum translata est, Vladislauiensis dici coepit: postea simul Pomeraniae Episcopus nominatus est, quia etiam in Palatinatu Pomeraniae vulgo Pomerellia, sacris praest (a). Hunc Ciuitas Gedanensis Praesulem suum colit, quippe quae in dioecesi eius constituta est, & loci Ordinarius apud nos appellatur, quoniam iurisdictionem ecclesiasticam, vi officii ecclesiastici & proprio iure exercet. Is autem Vicarium generalem seu Officialem in Ciuitate nostra constituit, qui iurisdictioni contentiosae praest, & vices episcopi in Consistorio seu tribunali eiusdem sustinet (b). Proinde

inde habemus Gedani Consistorium seu Iudicium ecclesiasticum romano-catholicum, coram quo etiam euangelici Ciuitatis incolae comparere tenentur, quoties in causis matrimonialibus & iis, quae iure Canonico eodem trahuntur, lis inter eos exorta est. Pertinent itaque ad consistorium etiam causae sponsalitiaë, vbi vel pro dissoluendis sponsaliis, vel pro consummando matrimonio agitur, proinde simul quaestiones de concursu sponsaliorum & eorundem praerogatiua ibidem agitari solent: insuper huc referuntur causae fornicationis quae tamen secundum ipsos pontificios causis mixti fori accenserentur solent (§. 4. 5.), adeoque etiam apud nos aequali iure a Iudice civili dirimuntur: causae simplicis adulterii Officialatui quidem subsunt, sed solum quoad poenas ecclesiasticas, nimirum poenitentiam publicam & censuras ecclesiasticas: rarius autem coram eodem ventilantur, quia adulteria vt plurimum apud nos criminali poena coerceri, & coniugatae personae vel fustigatione vel relegatione puniri solent (c). Notanter supra diximus; Venerab. Officialem in prima saltem instantia iurisdictionem ecclesiasticam exercere: (§. 18.) duae enim, immo tres adhuc instantiae dantur, ad quas appellationes a Consistorio Gedanensi patent. Primum iudicium, quod de sententia Officialatus cognoscit, est, sedes Archiepiscopi Gnesnensis, tanquam Metropolitanani, Primatis Regni, & nati Pontificis Nuntii. Ab hoc appellatio ad tertiam instantiam, & quidem vel ad Sacram Nunciaturam, quae Varsoviae est, defertur, in qua Nuncius, qua legatus Pontificis Romani, de Metropolitanani sententia cognoscit, eamque resoluit, vel statim ad Pontificem Maximum, tanquam, Iudicem vniuersalem, & Ordinarium Ordinariorum proceditur.

(a) Viri

- (a) Viri Magnif. ac de patria Ciuitate immortaliter meriti Godofr. Leng-
nich Ius publ. Polon. Tom. II. Lib. III. Cap. V. §. 37. (b) I. H.
Boehmer I. E. P. Lib. I. Tit. XXVIII. §. 2 (c) Iudicatum Iudicii Sea-
binal. primar. Ciuitatis d. 10. Sept. 1687. in causa vxoris R. - it. iud.
cius d. d. 23. Iul. 1687. in causa inquit. contra A. E. vxorem S. - .

§. 20.

*Limites ha-
ius iurisdic-
tionis.*

Veruntamen nemo sibi persuadebit, qualemcun-
que ex principiis Iuris Canonici, cognitionem ac deci-
sionem in matrimonialibus consistorio nostro datam esse.
Prospexerunt maiores nostri, & hodiernum satis prospici-
tur, ne quid in praeiudicium & detrimentum Augu-
stanae Confessionis & liberi religionis euangelicae exer-
citii, propullularet. Supra iam generaliter annotatum
est, iurisdictionem Episcopi ecclesiasticam eatenus tan-
tum inter incolas protestantes locum obtinere, quatenus
ius pontificium in materia matrimoniali, cum augustana
confessione & praxi consistoriorum ecclesiasticorum con-
sentit (§. 18.). Nunc adiciemus principales illos casus,
quorum intuitu iurisdicatio consistorialis in Ciuitate Ge-
danensi limitata est. Omnes illae causae, quae sponsa-
lia a personis alienae potestati subiectis, insciis vel inui-
tis parentibus aut tutoribus, inita concernunt, a iuris-
dictione episcopali exemptae sunt, & pleno iure, cog-
nitioni atque decisioni Magnif. Senatus cedunt (a): &
quamuis aliquando fieri soleat, quod alterutra pars ve-
luti desponsatus, patrem sponsae coram consistorio con-
ueniat, res tamen per Secretarium amice cum Ven. Of-
ficiali componitur, & integra ad iudicium Magn. Sena-
tus deuoluitur, vt ibidem secundum iura Ciuitatis, &
normam religionis euangelicae aestimetur, atque diri-
matur. Quum enim in eiusmodi casibus Ius protestan-
tium ecclesiasticum, cum sanctis Iuris Canonici non pe-
nitus coincidat, ex praecedentibus facile colligendum
est, eosdem a Iudice Pontificio non diiudicari ac decidi
posse,

posse, id quod etiam hodierna praxis confirmat. Notorium quoque est, Ciuitatem Gedanensem decretis Concilii Tridentini non teneri, in quo dogma illud stabilitum est, quod matrimonia sine consensu parentum aliorumque sub quorum potestate ineuntes existunt, contracta, pro ratis habenda sint (b): & si forte pupilli inscius & dissentientibus Tutoribus matrimonio per Officiale iuncti fuerint; contrahentes nihilominus a Magistratu puniuntur (c); Porro eximuntur causae connubiales personarum militarium; milites enim, quemadmodum in quibuscunque causis secularibus tam ex contractu, quam ex delicto oriundis, forum priuilegiatum militare sortiuntur, ita etiam in matrimonialibus, si superiores vel altiori dignitatis militaris gradu praediti sint, forum Ill. rerum bellicarum Praesidis agnoscunt; milites autem inferioris gradus siue caligati coram duobus Dominis Commissariis rerum bellicarum directioni praefectis comparere tenentur; vbi tamen generaliter notandum, quod priuilegium istud militum personas non egredietur, adeoque ad eorum vxores & liberos extendi nequeat. Pariter in casu contracti inter Euangelicos matrimonii, in gradibus Iure canonico quidem prohibitis, in Consistoriis Euangelicorum autem permistis, iurisdictiono officialatus non est fundata, sed soli Magistratui competit ex eadem ratione, quam supra addidimus. In genere enim notandum est, quod omnes controuersias, vnde metuendum, ne quid contra doctrinam Augustanae Confessionis, & leges matrimoniales in foris Protestantium receptas statueretur, Magistratus sibi cognoscendas ac decidendas vindicare ius habeat, in cuius rei testimonium vnicum notabilem casum adiungere licebit. Ciui cuidam rite desponsata erat honesta puella: ante

H

diem

diem nuptiarum autem, amor puellae certis ex causis, in tantam nauseam & auersationem sponsi degenerauit, ut matrimonium consummare penitus detrectaret. Sponsus consiliorum adiit, & Officialis, qui ad mulctam patri sponsae irrogandam, cognoscebat, brachium seculare implorauit. Burggrauus tum temporis Regius, causam cum Magistratu communicauit, ad cuius sententiam executio denegata est. Res ad aulam Regiam deducebatur, ubi Officialis Burggrauum, ob denegatam instauram conuenit: ast felicem exitum habuere, & approbata sunt omnia, quae Senatus & Burggrauus Regius susceperant.

- (a) SCta de A. 1658. d. 23. Mart. & 1. April. it. d. 26. Ian. item de A. 1659. d. 24. Mart. Ed. & publ. A. 1708. (b) Session. Conc. Trid. XXIV. de reform. matr. cap. I. (c) SCta de A. 1658. d. 23. Mart. 1. Apr. & 26. Ian. (d) SCtum de A. 1651. d. 4. Mart.

§. 21.

*Officialatus
brachium se-
culare.*

Sententiae in foris ecclesiasticis latae tandem executioni legitime dandae sunt, id quod ut plurimum fit implorato brachio seculari. Denotat vero Brachium seculare, magistratum secularem, cuius auxilium toties implorandum esse censetur, quoties ipsimet magistratus ecclesiastici, vi officii sui aliquid obtinere non sufficiunt (a). In poena facinorosis infligenda, Iure Canonico non aliter implorandum est brachium seculare, nisi iudex ecclesiasticus pro executione sententiae suae omnia fecerit, quae facere potuerat, h. e. si censuris & excommunicatione usus fuerit: Spreta enim hisce cogendi mediis, ad implorationem brachii secularis, tanquam omnium vltimum & extremum remedium deuenitur (b). Ipsa imploratio autem non meris absoluitur precibus, sed

sed obligationem perfectam, h. e. gloriam parendi in iudice laico operari dicitur. Quodsi tamen contra executionem, a brachio seculari impertiendam, exceptiones opponuntur, de his ante omnia cognoscendum. Pugnatur quidem pro omni, cuiusque iudicis sententia, praesumptio, quod legibus conformis & valida sit; haec tamen cessat, quamprimum in continenti contrarium probatur, adeoque si sententia executioni mandanda est, ante omnia constare debet, eandem ita esse comparatam, vt pleno iure executionem admittat (c). Gedani brachiumulare constituit Illustris Burggravius Regius, cui tam in matrimonialibus, quam in omnibus reliquis causis, decreta consistorii toties ad & exequendum remittuntur, quoties illud civili potestate & iurisdictione indiget. Sic ratione personae contumacis, post citationes consueto Consistorii modo insinuat, brachiumulare imploratur, vt citato comparitio per mandatum iniungatur, & tam diu continetur, donec coram Consistorio comparuerit: eodem modo in causis separationis & diuoriorum, decretum consistoriale, vtraque parte praesente, coram Ill. Burggrabio publicatur, & executio petenda est, vt ad Iudicium Scabinale, pro exdiuisione bonorum remittatur.

- (a) C. 4. D. 17. & c. 14. X. de offic. iud. ord. c. 2. X. de cler. excomm.
 (b) c. 10. X. de iudic. I. H. Boehmeri I. E. P. Tom. I. L. II. Tit. XXVII, §. LIV.
 (c) Ioan. Brunnemanni Ius Ecclesiast. lib. III, c. II. §. 3.

§. 22.

In villis & fundis extra moenia Ciuitatis Gedanensis, seu bonis eiusdem patrimonialibus, Iurisdictio Vicarii Episcopi Vladislauiensis nullatenus est fundata, sed pleno iure Magistratui huius Ciuitatis competit. Nititur

H 2

Causae matrimoniales extra moenia ciuitatis, coram Magn. Senatu ventilantur.

vero insignis haec praerogatiua, multis & eximiis priuilegiis, quae Gedanum a Diuis Poloniarum Regibus obtinuit. Inter haec, primum eminet Priuilegium Donationis a D. Casimiro Rege post debellatos Crucigeros datum, qui consensu omnium Regni Ordinum ac Statuum Spiritualium atque Secularium, in testimonium fidei & meritorum Ciuitatis Gedanens. bona patrimonialia eidem cum omnimoda Iurisdictione meroque & mixto imperio clementissime concessit. Ita enim se habent verba priuilegii, huc pertinentia: „Wollen also gute Thaten mit guten Thaten wiedergeben, nach so viel Diensten und Gutwilligkeiten uns bisher erzeiget, und zuförderst unsern Diensten wollen sie bereiter machen, nachdem sie sich fühlen werden von königlicher Mildigkeit getrübet, und unser und sonderlichen Gnaden der vorgenannten unsern Bürgern der Rechten Stadt Danzig, und ihrer aller Gemeine, jehunder wesenden und zukünftigen — das Werder Nehring genannt, — mit den Dörfern darauf wesende, als da ist Prenzlow, Schönebaum und Hofewald, und mit allen Krügen und Krezmern daselbst seyenden, als nemlich Boensack, Newefehre, Dutzeke Krezmer, und den Krezgen vor und auf der Münde mit dem Hoffe daselbst, und mit der Kirchen, auch mit dem Hoffe Goreck genannt, ausgenommen die Jagd in demselben Werder, die wir vor uns und unsre Nachkömmlinge gänzlich ausnehmen und behalten, item das Stüblausche Werder, in seinen Grenzen, und allen Zugehörungen, und mit andern Dörfern, als nemlich Plauendorf Müggenhahl und Nüstarn mit den Krezschen, Nagen Krezschen, und Salgen Krezschen: item die Dörfer auf der andern Seiteder Stadt gegen dem Gebürge in dem Danzischen Gebiethe liegende, nemlich Zepplaw, Praust, Gischkaw, Keinnat, Lublaw, Mickaw, Kunwall, Wommenberg, Ohre, Guteherberge, Petershagen, Schidlig

lis mit den Weingärten daselbst, und dem Hoffe Wartsch, in
 der Länge und Breite, alsdann die mehrgenannten Werdere
 und Dörfer, in ihren Zeichenen, Gemäßen und Grenzen
 seynd, um und um von Alters her gezeichnet und bedeutet, mit
 allen Rechten und Eigenschaften und Gerichten, klein und
 groß — Wir gegeben haben, begabet haben, und mildiglic-
 hen und gnädiglichen gedönet haben, und mildiglich gömen
 in kraft dieses Briefes ic. (a). Praeter istas insulas Neh-
 ringensium nimirum & Stueblaiensium, nec non territo-
 ria montana, aliosque fundos hic recensitos ad bona Ci-
 uitatis patrimonialia quoque referuntur Oppidum & ter-
 ritorium Helense; vbi quaeuis iurisdicctio penes Magi-
 stratum est per Priuilegium D. Sigismundi I, eiusque se-
 quentia verba: „Nos vicissim eius gratitudinis & obse-
 „quii erga nos exhibiti, grati existentes — praefatis
 „Proconsulibus, Consulibus, Scabinis, & vniuersis Ci-
 „uibus Ciuitatis Gedanensis, Oppidum & bona nostra,
 „Hela nuncupata, quae hactenus sine priuilegio Praede-
 „cessorum nostrorum, tamen, vt asserbant, in compensa-
 „tionem aliorum honorum suorum, quae Serenissimus
 „olim Genitor noster Rex Casimirus, tunc Magistro Gene-
 „rali, ac eius Ordini Theutonicorum in Prussia dederat,
 „tenuerunt, cum omnibus & singulis eorundem bono-
 „rum iuribus, proprietatibus, iudiciis, &c. nullis exceptis,
 „de certa Nostra, ac Consiliariorum nostrorum, tum
 „Regni Nostri Poloniae, quam harum terrarum, ac
 „Ciuitatum Nostrarum Prussiae scientia, consilio & con-
 „sensu donanda, & inscribenda duximus, donamusque
 „& inscribimus iure perpetuo & haereditario possiden-
 „da, tenenda, habenda & vifruenda., (b) In omnibus
 itaque memoratis bonis Ciuitatis patrimonialibus, solus
 Magnif. Reipublicae nostrae Senatus in causis matrimo-
 nia-

nialibus iurisdictionem exercet, aliaque delicta carnis, quae intra Ciuitatis muros, etiam ad Consistorium Episcopale deduci solent, hic pleno iure, tam ciuili, quam criminali processu instituto a Magistratu iudicantur (c).

- (a) Hoc priuilegium datam est Elbingae Domin. S. S. Trinitatis a. 1454, & integrum extat in Reinh. Curicke Chronic. Gedan. postea quoque ab eod. Seren. Rege per aliud priuilegium confirmatum est Gedani Domin. Carate a. 1457. (b) Priuilegium Sigismundi I. datum Gedani die S. Mariae Magdalenae a. 1526; eademque priuilegia confirmata sunt a D. Stephano Rege, per priuilegium, quod Tractatus Porpori vocatur, datum Vartuuiae d. 26. Februar. a. 1585. conf. R. Curicke in Chronic. Gedanens. (c) Io. E. v. d. Linde Obseruationes Gedanenses in Sam. Stryckii Introduct. ad praxim forenses, ad Cap. IX, §. 4.

§. 23.

*Concurrentis
Iurisdictio in
causis forni-
cationis.*

Speciale quoddam adhuc notandum restat de concurrente iurisdictione in foro Gedanensi ratione causarum fornicationis decidendarum. Dicitur autem iurisdictione concurrentis, si pluribus iudiciis idem ius de rebus controuersis cognoscendi easque decidendi competit, adeo, ut iste iudex, qui primus actum iudicalem in causa litigiosa exercuerit, totius causae discussionem merito ad se trahat, indeque alterutrius fori praescriptio nascatur (a). Eiusmodi iurisdictionis concurrentia & ius praeuentionis inde promanans, apud nos locum habet inter Magniff. Ciuitatum Iudices, & Ven. Officalem Ill. Episcopi Cuiuiensis. Ex superioribus enim constat, causas admissi stupri non violenti, tam Iure Canonico, quam praxi nostra, ad delicta mixti fori referri, (§. 19.) hinc eadem partim coram Consistorio ceu Iudicio Ecclesiastico, partim apud secularem Ciuitatis Iudicem dirimi possunt, dummodo ipsa delicta non grauiorem seu cri-

criminalem, sed civilem tantum, veluti pecuniariam poenam merentur (b). Proinde in huiusmodi controuersis liberum actoris est arbitrium, siue Iudicium Episcopale, siue Ciuitatis Iudicem adire velit, & vbi primo iudicialiter de re actum est, pars conuenta etiam cum pleno effectu citatur. Inter citationes vtriusque Iudicii, Episcopalis & Ciuilibis, differentia quaedam intercedit: in priori enim vel tres citationes literales typis impressae adhibentur, quae minores dici solent, & spatia vacua habent, ad inscribenda nomina & cognomina Actoris & Rei, nec non ad inferendum terminum libelli, ac tempus comparitionis, vel vna literalis scripta, maior nuncupata, insinuatur, quae peremptoria est, cuique etiam libellus inferitur (c). In iudiciis autem ciuilibus duae priores citationes sunt verbales simplices, & tertia literalis est peremptoria (d). Si pars absens conuenta a Consistorio per citationem literalem iusto ordine vocata fuerit, & in termino non comparuerit, quamuis de legitima citationis insinuatione constet, mittitur ipsi monitorium simplex, i. e. adhortatio ad comparendum sub praeiudicio decernendae excommunicationis; si tandem tertia vice non comparuerit, proteruitas personae contumacis ipsa excommunicatione punitur, quae ad Parochum loci remissa tamdiu durat, donec contumax se praesentem stiterit, & quadam pecuniae summa excommunicationem luerit. De contumacia personarum praesentium coercenda, in antecedentibus iam mentionem fecimus (§. 21.). In fine denique notari meretur, quod idem ius praeuentionis, in causis fornicationum, de quo hic locuti sumus, eodem modo obtineat inter Ven. Officialem & Dominos bonorum

rum

rum ac territoriorum nobilium, Langensfuhr, Heiligens
 Brunn &c. quae in vicinia Ciuitatis Gedanensis
 deprehenduntur, eiusque iurisdictioni non
 subiecta sunt,

- (a) I. H. Chr. de Selchow Elementa Iuris Germanici §. 666. (b) B.
 von de Linde Obseruat. ad Stryck. prax. for. Cap. IX. §. 14. Msc.
 (c) Id. cod. (d) Ius Culmense lib. 2. tit. 6. cap. 1. & 5.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 18. lin. 14. *add.* vel de constituendo, vel de exerc. &c.
 p. 31. lin. 9. semetipsum, *leg.* semetipsam. p. 35. lin. 30. loco. cano-
 nibus *leg.* doctrina Apostolorum. p. 47. §. 16. lin. 14. loco deci-
 sioni *leg.* diiudicationi. p. 48. lin. penult. loco clericis *leg.*
 Clericis.



Differis & patrias, dum iurisdictione quid sit
Ostendis, leges, mox stabilire cupis.

Gloria doctrinae merito TIBI nascitur inde

Applauditque simul laetius alma Themis.

Haec etenim, gestae, post tot certamina curae

Consultae laurus praemia digna dabit.

Nomina gratatur, sincero pectore, fratris

Præ reliquis dulci iunctus amore TIBI.

Qui licet in partes aduersas ire paratus

Non tamen hostili, tela vibrata, manu.

Itur in optatae, modo dulcia foedera, pacis

Et socias mentes colligat alta quies.

Stat fraternus amor, pietas, stat virtus, & idem

Impetus, in titulos ducitur ecce datos.

Sic, Doctorales, semper comitentur honores

Prospera cuncta diu corde animoque precor.

Gaude sorte TVA, sic itur ad ardua laudum

Culmina, sic patriam cuius honore beat.

Crescas arte magis. TVA sed modestia vultus

Plurima laudando dicere verba vetat.

CAROLVS FRIDERICVS GRALATH,

Gedanens.

Opponens.

DISSER-

DISSERTATIONIS AVCTORI ATQVE DEFENSORI,
AMICO
PERDILECTO ATQVE AESTVMATISSIMO,

S. P. D.
D. G. WEICKHMANN. Opp.

Humeris meis impar, viresque exiguas longe excedens, susciperem onus, si encomiis iuste & merito Tibi dicendis immorarer; quid praeterea verbis opus est, vbi facta diserte testantur? Quot enim curriculi Tui dies, tot iustae laudis fontes. Iam praemia Te exspectant, quae industriae Tuae debentur. Fauorem Tuum ac amicitiam erga me, cum publicae laudis, publicae victoriae Tuae, & me publicum volueris esse testem, quam gratissima veneror mente. Quod reliquum est, omnibus Tibi applaudentibus, omnibus fausta quaeuis Tibi apprecantibus & ego accedo, laete & sincere Tibi acclamans,

I Bone, quo virtus Tua Te vocat, i pede fausto.

Nomen

Nomen Tuum, Doctorande Praenobilissime, Amice optime, laudibus iustis prosequi non studeo, eo potissimum tempore quo Antecessores nostrates summos Tibi in iure honores decernunt. Nec autumo, voluntatem in Te meam, a me hac occasione votis pro salute Tua atque incolumitate concipiendis declarandam esse, qui, omnia, omni tempore prospere Tibi cedant ex animo opto', quique, cum, Te virtute, mercede sibimet ipsa pulcherrima ornatum norim, spero, fore vt Numen supremum Tuis semper adnuat precibus.

Liceat mihi tantummodo nomen meum amicorum Tuorum nominibus addere, vt mei semper memor viuas, & amicitiae nostrae iurium sanctorum monumentum aliquod habeas.

Vale.

LVD. FRIED. DOMHARDT.

Opponens,

Der

Der Ruf macht keinen Weisen,
Es machet ihn sein Thun;
Ihn hebt kein Böbel Preisen,
So soll, mein Sralath! nun
Auch Deine Muse sich den Weisen kräftig zeigen,
Des freuet sich Dein Freund, und heist die Neider schweigen.

L.



is
nt
o,
d
os
i-
o-
b,
o-
l-
n
o-
y
n
a
e
b
i-

s
t
a
s.
o
s
n
t
t
s
d
r



Königsberg, Diss., 1740-99


ULB Halle

3

004 587 936



f
sb.





20. num. 31.

1763, 2

15

P. 385.

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
IURISDICTIONE IN CAU-
SIS MATRIMONIALIBVS,
ET
HODIERNO EIVS EXERCITIO
IN FORO GEDANENSI,

QVAM
ANNVENTE DEO
IN ILLVSTRI ALBERTINA,
PERMISSV
AMPLISSIMI IVRIS CONSVLTORVM ORDINIS
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROVE IVRE HONORES,
AC PRIVILEGIA CAPESSENDI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBICIT,
ET
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS CONSVETIS
DIE XX. M. DECEMBRIS A. MDCCLXIII.
IN AVDITORIO MAXIMO
DEFENDET

DANIEL GRALATH,
GEDANENSIS.

REGIOMONTI,
LITTERIS HARTVNGIANIS.

